OPUSCULA

MISCELLANEA THEOLOGICA

JOHANNIS BURTON, S.T.P.

Collegii Etonensis Socii.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

Apud JAC. FLETCHER.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

In hoc Volumine continentur

Hophni et *Phinees*: ſive Impietas Sacerdotum publicæ Impietatis cauſa.

Concio pro Gradu S. T. B. cum Appendice, de Vitiis quibuſdam in Rerum Sacrarum Adminiſtratione tollendis. A. D. 1729.

Heli: ſive Exemplum Magiſtratûs intempeſtivâ Lenitate peccantis. *Concio eo animo conſcripta ut Academicæ Diſciplinæ ſalubris Adminiſtratio ſtrenuè exerceatur.* A. D. 1725.

Samuel triplici nomine laudatus, Propheta; Populi Iſraelitici Judex; Scholarum Propheticarum Rector.

Conciones duæ, cum Additamentis, et Appendice de Studiis Theologiæ inſtituendis; quo quidem pertinent aliæ duæ Conciones ſeu Diſſertationes. ſc.

De Fundamentalibus Diſſertatio Theologica. 1756.

De Praxeos Theologicæ Abuſibus, Concio. 1760.

Appendicis loco additur

Concio *Johannis Bear* de Primævorum Patrum auctoritate, cum Præfatione Commendatoriâ *Johannis Burton.*

Beſides theſe Dr. BURTON printed Two Volumes of *Occaſional Sermons*.

Vol. I. Containing,

A General Preface on Preaching and Publiſhing Sermons.

General Faſt, 1741. The Time of War a Special Call to Piety.

On the Martyrdom of K. Charles I. 1743. Principles of Chriſtian Loyalty.

General Faſt, 1744. The Folly and Wickedneſs of Miſplacing our Truſt.

General Faſt, 1757. God's Call of the Jews to Repentance applied.

General Faſt, 1762. Moral uſes of Faſting conſidered and applied.

General Thankſgiving, 1746. The Expoſtulation, *&c.* of Samuel applied.

Inauguration, June 22. 1752. The Duty and Intereſt of a Chriſtian Subject conſidered.

Inauguration, 3 Sermons. Univerſity-Politicks; or the Study of a Chriſtian, Gentleman, Scholar.

Nov. 5. 1752. The Regulation of Zeal in Controverſies of Religion.

Vol. II. Containing,

Aſſize, 1746. Principles of Religion the only ſufficient Reſtraint from Wickedneſs.

Meeting of Charity Schools in London, 1759. Religious Education of poor Children recommended.

Before the Sons of the Clergy in London, 1761. Zeal for our Conſtitution in Church and State recommended.

Before the Aſſociates of Dr. Bray and Truſtees of Georgia, 1732. The Duty and Reward of propagating Principles of Religion.

Before the Univerſity of Oxford, 1733. The Extenſive Propagation of Abraham's Religion repreſented.

Inauguration, 1764. The Uſe and Neceſſity of Religion in Perſons of High Stations.

Conſecration of a Chapel.

Confirmation. God's Word the young Man's Guide.

Homily on Iſa. 53. with a Preface on Homily-Preaching.

ALSO,

Phariſees and *Papiſts* compared, or *Popery* the Corruption of *Chriſtianity*.

Diſſertatio et Notæ Criticæ ſpectantes ad Tragœdias quaſdam Græcas editas in Πενταλογιᾳ. 1758.

The Genuineneſs of Lord *Clarendon*'s Hiſtory, &c. Vindicated. 1744.

The Preſent State of the Navigation of the River *Thames* conſidered, and certain Regulations propoſed. 1765. 4to. 2d Edit. with Appendix, 1767.

In another Volume are collected

Opera Miſcellanea Metrico-Proſaica. J. B.

Sacræ Scripturæ Locorum quorundam Verſio Metrica.
Præfatio Dedicatoria.
Pſalm. 137. Gr.
—— 137. Lat.
Davidis Threnodia, 2 Sam. I. Lat.
Pſalm. 47. Gr.
—— 46. Gr.
Moſis Epinicion, Exod. 15. Lat.
Debboræ Epinicion, Gr.
———————— Lat.
———————— Lat.
Iſaiæ, Cap. 38.
Sacerdos Parœcialis Ruſticus; cum Præfatiunculâ.
Elogium *Joh. Rogers*, cum Præfatiunculâ.
Νοσυντος Μελετηματα, cum Præfat. Lat. et Dedicat. Gr.
Diſſertatio Critica de Literarum Græc. Inſtitutionibus.
Οδοιπορυντος Μελετηματα, Gr. cum Ode Epiſtolari Præfatoriâ.
Απο Σκωπξιας, Carmen Epiſtolare, Lat.
Iter Suſſexienſe, Lat.
Αποδημυντος Μελετηματα, Gr.
Epiſtola ad *Gul. Thompſon*, Gr. cum Præfat. Lat.
Iter Bathonienſe, Lat. cum Præf.
Epiſtola Lat. ad *Cornel. Æmiliam.*
Commentariolus *Thomæ Secker*, Archiep. Cantuar. Memoriæ Sacer.
Epiſtola ad *Tho. Hayter.*
Equi δραπετευοντος ad *J. Jones* Epiſtola Apologetica.
Veræ Magnificentiæ Laus.

Nummus

Nummus Hiſtoricus.
Hortus Botanicus.
Vernonus Triumphans.
In honorem Muſices et *D. Cæciliæ.*
Meditatiuncula in Eremitæ Domicilium, poſitum a Reginâ *Carolinâ*, in Regiis prope *Richmondiam* Hortis. 1729.

To this may be prefixed, *An Account of the Life and Character of Dr John Burton*, in a Latin Epiſtle to the Right Reverend *Dr Robert Lowth*, Lord Biſhop of OXFORD, by *Edward Bentham*, D. D.

This may be had ſeparate; as may ſeveral of the forementioned pieces of *Dr J. Burton.*

HOPHNI & PHINEES,
SIVE
Impietas Sacerdotum publicæ impietatis causa.

CONCIO

HABITA IN

TEMPLO B. *MARIÆ,*

PRO

GRADU S.T.B.

JUL. 19. 1729.

A JOHANNE BURTON S.T.B.
C.C.C. OXON. Soc.

EDITIO SECUNDA.

OXONIÆ,
E THEATRO SHELDONIANO.
Proſtant apud J. FLETCHER, Bibliop. OXON. & J. FLETCHER, in Cœmeterio *Paulino*, LOND.
MDCCLXI.

CONCIO

HABITA IN

TEMPLO B. MARIÆ,

PRO

GRADU S.T.B.

Jul. 19. 1729.

A JOHANNE BURTON S.T.B.
C.C.C. Oxon. Soc.

EDITIO SECUNDA.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO.

Prostant apud J. FLETCHER, Bibliop. Oxon. &
FLETCHER, in Comitiis ad Portam Borealem.

MDCCXXI.

REVERENDO VIRO

HENRICO GODOLPHIN

S. T. P.

ECCLESIÆ CATHEDRALIS *PAULINÆ*

RESIDENTIARIO,

COLLEGII *ETONENSIS*

PRÆPOSITO.

CONCIONIS hujuſce Argumentum admonuit ut hominis Clerici nomen præſcriberem, & quidem Illius, qui debita pietatis Sacerdotalis, quæ deſcripſimus, officia Exemplo commendat.

Puderet profecto hominis Eccleſiaſtici titulos numerare, niſi iidem ſimul extarent totidem meritorum teſtimonia: & ingrata foret Fortunarum commemoratio, niſi quæ ſecum adjuncta traheret & Virtutum præconia.

At vero in excelſo loco Pauperioris Cleri meminiſſe & miſereri: in Illius ſubſidium ſua Eccleſiæ beneficia quodammodo redonare: Dignitatem ampliſſimam eadem, qua ornaverat, animi Magnitudine deponere: hæc qui fecerit ſingularis Auctor documenti, ſive illinc Pietatis munificæ, ſive hinc Abſtinentiæ, vel Amicitiæ ſpectetur laus, non ego eum cum ſummis hujuſce ſæculi viris Cathedralibus comparo, ſed ſanctioribus temporum primævorum Patribus ſimillimum judico.

Beatus ille, qui vita poteſt priore ita frui, ut cum gaudio proſpiciat futuram!

Cui

Cui autem unice debetur virtutum tantarum honos — Illum agnoſcent aliquando & poſteri, ad quos, ſive munificentiæ fructus, ſive exempli fama pervenerit.

Veniam interea dabis officioſæ huic ambitioni, quæ Tuum, Vir Reverende, in Republica, in Eccleſia cum gloria jamdiu verſatum, nomen geſtit celebrare. Liceat admirari placidum illum honoratæ ſenectutis decurſum, qui ſemper aliquid apportat novi quod addat laudibus.

Felicitas tanta gratulationes noſtras poſtulat, non deſiderat vota, niſi ea quæ afferrent diuturnitatem.

Et mihi quidem tempus jam obtigit longe gratiſſimum, quo extare poſſet aliquod meæ erga Te obſervantiæ teſtimonium. Huic adeo qualicunque opuſculo benigne, uti ſpero, favebis, perinde ac ſcribentis conſilio: ut Eruditorum judicia minus adverſa experiatur quod

prodit

prodit Patrocinio commendatum Tuo: vel, ſiquid forſan inde periculi, hinc ſaltem accedat aliquid præſidii & honoris.

Me certe laboris illius ſuſcepti nunquam pœnitebit, quem aut Lectori aliquatenus profuiſſe, aut Tibi placuiſſe intellexerim

Omni

Honoris

& Benevolentiæ

Officio Devinctiſſimus

JOHANNES BURTON.

CLERICO LECTORI

S.

CONCIONEM hancce, animo certe erga Eccleſiam benevolo à me conſcriptam, eodem & tibi perlegendam liceat commendare. Vides multiformis nequitiæ, qua gravior fere nulla à Sacerdotibus perpetrari potuit, exemplum deteſtabile: verum illius, quanta quanta per ſe fuerit, Atrocitatem impenſius exaggeravit damnoſa peccantium Auctoritas, quæque inde ad populum tranſiit, inexpiabilis mali contagio. Ideo puerorum peccatum fuit grande nimis, quia retrahebant homines à Sacrificio Domini.

En vero, quod tibi uſui ſiet, documentum! Ita iſthæc ad te pertinere puta, ut id in te verearis admittere, quod in alio videris, Deo judice, damnatum. Utcunque enim diverſi reperiantur cultûs Divini Ritus temporibus diverſis inſtituti, at ſemper eſt Deus idem colendus, eadem ſemper Religio-

nis

nis promovendæ cura; adeoque Miniſterii Sacerdotum omnium, quotquot, per vitæ nefariæ dedecus, impietatis publicæ auctores extiterint, peccatum *fore ſemper* coram Domino grande nimis.

Si quæras quo jure ad Chriſtianum *nomen transferri poſſit hæc cenſura, en tibi* Pontificiorum *cauſam exhibui, cum profanis Sacerdotum* Iſraeliticorum *moribus criminum cognatione quadam conjunctam. Abſit tamen ut ad Clerum Univerſum transferendam eſſe exiſtimem. Inter enim corruptelarum totidem immanitatem credo apud ipſos, ſicubi uſpiam, ſinceræ pietatis exempla conſpici: &, quæcunque fuerit venalium ſacrificulorum Cathedralium infamia, meliorem tamen eſſe Sacerdotum Paræcialium cauſam. Imo Concilium iſtud* Tridentinum, *utcunque impios, quoad Doctrinam, errores confirmaverit, at de morum reformatione exigenda auſpicatius conſuluit: ut qui de dogmatum veritate judicare aut recte non poterant, aut libere non audebant, iis ſaltem ad vitam bene dirigendam non deeſſet pii Sacerdotis exemplum. Fuit quidem illud præclare conſtitutum. Fas erat nobis hac in parte et ab hoſte doceri. —— Piget profecto miminiſſe malignæ iſtius laudis, quam ab Archiepiſcopo illo* Spalatenſi *Eccleſiæ noſtræ tribui accepimus,* Nihil non, *inquit,* ibi Reformatum video, præter Mores.

Cleri

Cleri Anglicani *cauſam quod attinet, facile mecum ſenties eſſe illam à Sacerdotum* Iſraeliticorum & Pontificiorum *cauſa longe diverſam. Non ea ſane eſt Illius conditio, ut poſſit eodem prorſus modo peccare: non tam opima beneficiorum dotatio, ut Laicis invidiam movere debeat: non ea ſuperbia, non auctoritas, ut vel audeat, vel impune poſſit alienum jus invadere: imo ſatis habet, ſi ſuum abſque damno tueri valeat; imo vero tantum abeſt ab Eccleſiaſticæ Tyrannidis ſuſpicione, ut Reverentiam ſibi divino jure debitam ſine offenſione nequeat vendicare.*

Veruntamen, ſiquis noſtrûm in rerum ſacrarum adminiſtratione aliquid profanum, vel in doctrina hæreticum admiſerit, ſiquis eo ſolum animo rem Eccleſiaſticam capeſſerit, ut Ambitioni, Avaritiæ, Luxuriæ inſerviat, & Paræciæ curam gerat plane nullam, niſi quæ in Decimis acerbius exigendis conſpicitur, ſi quis demum quoquo modo ita turpiter peccaverit, ut ſuam hominibus impiis impietatem confirmaverit, imo & pios indignantes & quaſi invitos à cultu Divino retraxerit, ad illum procul-dubio cenſuræ, quam memoravimus, ratio pertinet, ad illum nempe infamem ſacri muneris proditorem, nefarium violatæ Religionis hoſtem, atque adeo ſceleris non privati modo, ſed etiam publici ſupplicia luiturum.

Quid ergo prius potiusve agendum habes, quàm ut id disciplinæ sedulo excolas, quod te opprobrii omnis immunem præstiterit; quod insuper Religionem Populo, Te cariorem Deo commendaverit. Est sane dignissima hæc materiès quæ hominis Clerici cogitationes exerceat; nostras de ea qualescunque tibi legendas exhibeo. Quæ scripsi, ita tibi placere volo, ut etiam prosint.

1 Reg. II. 17.

Erat ergo peccatum Puerorum grande nimis coram Domino; quia retrahebant Homines à ſacrificio Domini.

SACRA paſſim Hiſtoria Jehovam nobis exhibet iratum honoris læſi vindicem: eo nimirum conſilio, ut, quæcunque ad ipſum auctorem propiori jure pertinent, ea admoniti cautius & reverentius adminiſtremus, cum impune violari non poſſe videamus.

Cum autem ex inſtituto Divino tam ad Perſonas quam Res tranſeat derivata ſanctitas, ſi, quorum miniſterio promoveri & ornari debuit, Religio eorundem per nequitiam aliquid detrimenti acceperit, quid aliud expectandum fuerit, quam, quòd cum tantâ exaggerati ſceleris atrocitate Dei pariter ultoris ingraveſceret indignatio? Inde adeo Sacerdotum crimina ubique cenſura acriori notata comperimus, & graviſſimo violati Numinis judicio damnata; ut, quorum mores non poterant, eorum ſaltem ſupplicia gloriam divinam illuſtrarent.

[a] *Si*,

[a] *Si*, in cauſis civilibus, *contra Proximum quis deliquerit, crimen judicabit Magiſtratus*; & cognoſcendi, forſan & ignoſcendi dabitur locus: At vero, in re ſacra, *contra Jehovam ſi quis peccaverit, quænam reſtat aut deprecatio pœnæ, aut expiatio ſceleris?* Sacerdote profano in conſpectu Jehovæ nihil planè deteſtabilius; nihil populo, ad quem propagatur impietatis contagio, pernicioſius. Et illud quidem, cætera ſi deeſſent argumenta, abunde docet iſthoc, quod verbis modo recitatis continetur. *Hophni* & *Phinees* omnes omnium immanitates inaudito nequitiæ cumulatioris exemplo ſuperârunt.

Erat ergo peccatum Puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant Homines à ſacrificio Domini.

Verbis hiſce exhibetur Peccati Sacerdotalis atrocitas, — *erat peccatum grande nimis coram Domino*; — dein, qui inde ſubſequebatur, Religionis inſtitutæ contemptus; — *retrahebant Homines à ſacrificio Domini.*

Erit itaque mihi

I. Explicanda peccati, quod hic memoratur, magnitudo.

II. Generalis aſſertio probanda; quod perſonalia Sacerdotum peccata ſecum unà trahunt officii Sacerdotalis & Religionis contemptum; — unde

III. Con-

[a] V. 25.

III. Conſtabit quàm Sacerdoti neceſſaria ſit, ad religionem promovendam, tum in moribus privatis probitas, tum in publico miniſterio pietas.

Magnitudinem peccati quod attinet, eam ſanè in genere & breviter deſcriptam exhibet comma 12^um^. — *Filii autem Heli fuerunt Filii Belial:* — *ignorabant Jehovam.* Quid aliud video quam omnigeni ferè dedecoris compendium? Miniſtros Jehovæ! Sed eoſdem *Filios Belial!* quos oportuit Divinæ Legis conſultiſſimos eſſe, & obſervantiſſimos, ii prorſus *ignorabant Jehovam!* Quid aut Deo magis odioſum quam officii ſacerdotalis inquinata ſanctitas? Quid porro ad *Homines à ſacrificio Domini retrahendos* efficacius, quam publicum iſthoc impunitæ libidinis & contemptæ Religionis exemplum; cum, quorum miniſterio Deum ſibi propitium reddi poſſe ſperabant, eorundem ſceleribus indies ad iram provocari animadverterent?

Si qua porro *circumſtantiarum* momenta valeant, exinde video ſacerdotum flagitiis amplius quiddam atrocitatis accedere.

Quales enim viros peccâſſe comperimus? non gregarios, de infimo Levitarum ordine, ſacrificulos, ſed magni nominis ſacerdotes; ſed filios

Iſraelitici [a] Judicis ejuſdem & Pontificis, ſupremi Magiſtratûs, tum Civilis tum Eccleſiaſtici, & quidem Viri, (niſi quod nimiâ erga Ipſos lenitate peccaret) ſanctiſſimi.

Ipſa in excelſo collocata Dignitas debuerat ſaltem illos omnimodæ turpitudinis immunes præſtitiſſe; ſiquidem cum honoris contaminati amplitudine inſignior quoque infamia comes accreverit.

Quid iſthoc erat audaciæ, quod neque [b] Auctoritas paterna coercere, neque Conſilium flectere potuerat? & illud tantæ pietatis domeſticum exemplar quid aliud effecit, quàm ut degenerum Filiorum, quibus continuo impietatem fruſtra exprobraverat, inexpiabilis nequitiæ immanitatem illuſtraret?

Imo vero Ipſi, cum, in [c] rebus pleriſque tum Civilibus tum Eccleſiaſticis adminiſtrandis, Patris, præ ſenio jam emeriti, vices gererent, in Eccleſiâ, in Republicâ Principes viri eminebant: ita ut in Ipſos Auctores publica recideret impietas; imo, ut auctoritatis abuſu & exemplo viderentur, prope dixerim, infinite peccaſſe, populi etiam, quem corruperant, pœnas luituri.

At vero tantæ impietatis exemplum in eâ Republicâ extitiſſe, cui immediatè præſidebat Le-

a C. 4. v. 18. b C. 2. 24. c Vide *Joſeph. Antiq. Jud.* l. 5.

giſlato

giſiator Deus, toties ſeſe non fruſtra præſentem tremendo miraculorum indicio teſtatus; potuiſſe in Theocratiâ tantum ſceleris perpetrari, quis non iſthoc planè indignabundus miretur, & tantum non incredulus oderit?

De *circumſtantiis* hæc breviter notata ſunto.

De Peccati vero, cui unice ſubjungitur hæc Hiſtorici ſacri cenſura, *qualitate* ſi quærat quiſpiam, ſive *quali* potiſſimum in re fuerat admiſſum; ſciat illos in re momenti graviſſimi, in ipſo [a] *Sacerdotali miniſterio*, & quidem ita peccaviſſe, ut Legis, non *ceremonialis* modo, verum etiam *moralis* præcepta violaverint.

Utriuſque ſane idem eſt & Auctor & Vindex Deus: ſed, pro utriuſque ratione diversâ, Illius violationem, pœnâ longe ſeveriori, quam Hujus, reprimendam judicavit. Cujus rei cauſas ſi quærat quiſpiam, de utriſque hæc mecum unà cognoſcat.

Legis quidem *moralis*, quæ in illâ immutabili & æternâ rerum mutuâ inter ſe habitudine fundatur, Auctoritatem ipſa per ſe Ratio luculenter aſtruit; ideoque minùs deſideratur Legiſlatoris uſque repetita confirmatio; cum, qui in hac parte peccaverit, Rationi ipſi bellum indixiſſe videatur. At vero Legis *ceremonialis* longe diſpar cauſa; Illius neceſſitatem, quæ præcipue in

[a] V. 13.

Dei

Dei imperantis voluntate poſitiva fundatur, cum ipſa per ſe Ratio non evincat, idcirco ſapientiæ Divinæ conſentaneum videtur renovati aliquando teſtimonii auctoritate ſtabilire; &, nequis forte, ut rem plane adiaphoram, aut imprudenter negligeret, aut protervè contemneret, ſæpius interpoſitis pœnarum miraculis vindicare; proinde, utcunque apud ſacros ſcriptores legis *moralis* impune violatæ fœdiſſima paſſim occurrant exempla, at Religionis promovendæ cauſa poſtulavit, ut, cujus neceſſitatem *res ipſa* non ſuggereret, illius obſervantia *aliunde* inculcaretur, atque adeo Legis *ceremonialis* reverentiam incuterent nova terrorum documenta, & ſanctiones, quaſi à Deo Vindice denuo promulgatæ.

Hi vero ſacerdotes nequiſſimi ita *ignorabant* [a] *Jehovam*, ut *Leviticæ* Legis præcepta aut ultro neſcirent, aut contemnerent; nec pœnarum, quarum impreſſa adhuc extabant veſtigia, exemplis admoniti caverent; imo denique Jehovam ita non agnoſcerent Legiſlatorem, ut nec reformidarent Ultorem.

Ut vero in *quantum* peccaverint facilius intelligi poſſit, pauca quædam, quæ de ſacrificiis Lex *Levitica* præceperat, non abs re fuerit annotare.

a Conf. v. 13. &c. cum *Lev.* c. 3. & 7.

Et

Et Illa quidem pro diverſis cauſis inſtituebantur diverſa; ſed ad tria potiſſimum genera revocari poſſunt omnia.

Aut enim unice in honorem Dei offerebantur, [a] ut *Holocauſta*; quibus nullum extitit antiquius, nullum pietatis publicæ aut privatæ monumentum magnificentius.

[b] Aut, pœnam peccatis debitam, deprecandi cauſâ, ut ſacrificium *Piaculare:* per quod humana imbellicitas & pœnitentia, divina vero agnoſcitur juſtitia & miſericordia.

Aut denique, quod noſtram ad rem potiſſimum ſpectat, ſacrificium [c] *Pacificum*; & illud quidem aut εὐκτικὸν, aut εὐχαριστικὸν, prout beneficia proſpicit impetranda, aut reſpicit impetrata.

Prioris generis victima, cum, in rerum omnium Conditoris, Servatoris, Dominique gloriam unice fuerit inſtituta, in integrum omnis ita Deo devovetur, ut nulla populo, nulla ſacerdoti comedenda cedat pars: tota flammis abſumpta, [d] in odorem ſuavitatis aſcendit.

Victima *piacularis*, cum is, à quo offertur, piaculi reus apud Deum habeatur, & proinde ſacro convivio plane indignus, aut omni ex [e] parte debetur Deo, aut partim etiam [f] Sacer-

a *Lev.* c. 1. b *Lev.* c. 4. & 5. c *Lev.* c. 3. d *Lev.* c. 1. 9. e *Lev.* c. 4. 12. & c. 6. 30. f *Num.* 18. 9, 10. *Lev.* 6. 26.

doti.

doti. Deo quidem [a] adeps omnis, pro more adolendus, reliqua Sacerdoti.

At vero Victima *pacifica*, cum, ſupplicationis aut gratulationis nomine oblata, Numen adhibeat propitium, & inter Deum, Sacerdotem, Populumque fœderatæ cujuſdam amicitiæ, & quaſi hoſpitii ſit pignus & argumentum, ideo Omnibus diviſo jure tribuitur. [b] Adeps omnis, primitiarum inſtar, Deo; [c] Sacerdoti dexter armus & pectuſculum, Populo [d] reliqua.

In hoc potiſſimùm Sacrificii genere obeundo verſabatur pietatis *Iſraeliticæ* magna pars; quod, ſive quis [e] Euchariſticum; ſive [e] Voluntarium, ſive [e] Votivum appellaverit, cum ex liberæ pietatis motu offerri videretur, ideoque genuinum Religionis internæ ſenſum teſtari, facile credederim fuiſſe Deo longe gratiſſimum; & proinde eos rem ingratiſſimam feciſſe, qui hanc cultûs divini partem ita polluebant, ut etiam fere abrogarent.

Videte ergo quam *grande nimis erat Illorum peccatum*, quorum ſacrilega impietas *retrahebat Homines ab hoc ſacrificio Domini*. Videte peccatum, [f] quale ſacrificium omnino nullum expiare potuerat; multiforme quidem illud, unum inſtar omnium: peccatum contra Seipſos, contra

a *Lev.* c. 4, 10. b *Lev.* c. 3. 5, 11, 16. c C. 7. 31, 32.
d 7. 15, *&c.* e 7. 15, 16. f 1 *Reg.* 3. 14.

Proxi-

Proximum, contra Deum: Luxuriam, Rapinam, Sacrilegium. [a]

Videte imprimis Sacerdotum Luxuriam, faſtidioſam plane illam & inſatiabilem; cui ne alimenta & lenocinia deeſſent, jura tum divina, tum humana petulantius invaſerunt.

Nequicquam de Victimis fuerat præceptum, ut, præter Agnum Paſchalem, elixatæ comederentur omnes; proh nefariam hominum libidinem! Illi Gulæ potius, quam Deo, ſervire ſatagentes, novos imperârunt ritus, priſtinos ſuſtulerunt. Tædebat illos quotidiani victûs, [b] tædebat continuò carnibus veſci macilentis, elixatis, & quaſi bis emortuis: ſed crudas adhuc, necdum elixatione corruptas, poſtulârunt, more novo ſibi delicatius coquendas.

Quin & Luxuriem comes rite ſequebatur Avaritia, & Latrocinium; eò intolerabilius, quia

a Hiſtoriæ hujuſce compendium *Joſephus*, cujus verba in ſubſidium ſæpius advocare non piget, Antiq. *Jud.* l. 5. ſic exhibet.

Ηλει δε τω Αρχιερει δυο παιδες ησαν, Οφνις και Φινεισης· ουτοι, και παρα ανθρωπες υβρεισαι γινομενοι και παρα το θειον ασεβεις, ηδεως απηχητο παρανομημασι· και τα μεν εφερετο των θεων κατα τιμην, τι δε ελαμβανον αυτοις αρπαγης τροπω, γυναικας τε επι θρησκεια παρανομους υβριζον φθοραις, τας μεν βιαν παραφεροντες, τας δε δωρεις υπαγομενοι· τυραννιδος δε ουδεν απελειπεν ο βιος αυτων ο τε πατηρ επι τουτοις αυτοις χαλεπως ειχεν, οσον ουδεπω παροξυναι ηξειν εις θεου τιμωριαν επι τοις πραττομενοις· το τε πληθος ηδυσφορει.

b 1 *Reg.* 2, 15.

ex laſciviâ ortum, non neceſſitate; in opprobrium liberalitatis divinæ, quæ multiplici beneficiorum genere Sacerdotium locupletaverat. Dotatio tam opima, quæ Laicis poterat invidiam movere, merito videbatur ipſis omnem præcidere avaritiæ cauſam, & rapinæ excuſationem.

Sed nequicquam Deus Sacerdotum & Laicorum jura definiverat, Illi novas ſacrificiorum leges invexerunt; & auctoritate, quâ quidem ſummâ præpollebant, male uſi, præter armum dextrum & pectuſculum, quæ ſola ſibi jure debebantur, aliena etiam ſibi nefarie vindicarunt. [a] *Immiſſa in lebetem fuſcinula, quicquid adhæreſceret una rapuerunt, renitentibus quibuſcunque violentiam inſuper interminati.*

Audire videor *Iſraelitam* quendam, cui illata erat injuria, Religionis cauſam tanta cum ſollicitudine & modeſtiâ vindicantem quantâ cum audaciâ & impietate Sacerdotes prodiderunt & inquinârunt. [b] *Sinite quæſo*, ut, quem præcepit Deus, ordo obſervetur; *imprimis, ut par eſt, adoleatur adeps:* ſua imprimis Deo tribuantur jura; ipſe de privato jure facile cedam; *de meo ſumite quantumcunque anima deſiderat*, cultus modò divinus ne polluatur.

a V. 13, 14. 16. b V. 16.

Quem

Quem non movere poterat illa Laicorum modeſta ſanè, omnique opprobrio ſeverior expoſtulatio? — at non Illos commovit, apud quos nihil valebat ipſius Jehovæ reverentia. Rapinæ enim & Popularium injuriis acceſſit inſuper Sacrilegium: noluerunt enim, prout ex jam ante dictis conſtat, expectare, dum elixarentur carnes & extraheretur adeps omnis, Deo pro more adolendus; ſed quicquid vi temere rapuerunt, ſive Deo debitum, ſive aliud quidpiam, id omne ad epularum lautitiam comparârunt, [a] *Seipſos magis quam Jehovam honorantes, dum primitias cujuſque Sacrificii comederent.*

Quis ergo non videt *peccatum Puerorum fuiſſe grande nimis,* ſi ratio habeatur illius ſolummodo, quod in munere *ſacerdotali* exequendo admiſerant? Quanquam quid admitti poterat atrocius quam illa Officii triplicis, quod ſuſtinebant, violatio? officii *Regalis*; quoad regimen Eccleſiæ, cujus diſciplinam proſtraverant; *Sacerdotalis*; quoad Sacrificiorum oblationem, quorum ritus immutaverant; aut demum *Prophetici*; quoad explicationem Legis, quam perfide neglexerant; Ipſi ita penitus Jehovam ignorantes, ut Populum adeo non doctrina adjuvarent, ut exemplo in moralem quandam peccandi neceſſitatem adduxerint.

[a] V. 29.

Quod ſi quis porro Ipſorum vitam univerſam, moreſque privatos, & facinora demum omnia perſpexerit, quibus Legem tum *ceremonialem*, tum *moralem* nefariè violaverant, intelliget profecto nihil omnino ad conſummatiſſimi dedecoris & impietatis cumulum adimplendum deſiderari.

Cuinam illico aures non tinniant audienti vitæ tam execrabilis non exitum modo luctuoſum, ſed decurſum ipſum incredibiliter vitioſum, non ſupplicii modo divinitus impreſſi acerbitatem ſingularem, ſed ipſius nequitiæ ſtupendam immanitatem? Quid memorem probroſæ libidinis exempla, cum Mulieribus, quæ Religionis ergô confluxerant, concubitus nefandos, in ipſo Tabernaculi veſtibulo, & propioris Dei conſpectu? — Quid intactum nefaſti reliquerint Homines ita impudenter nequam? Cuinam hæc intuenti non commoveretur animus, & ipſa in indignationem prorumperet pietas mitiſſima?

Quid interea Laici? quorum alii quidem ægre ferebant jura ſibi Sacerdotum latrocinio imminui; alii forſan Ipſis luxuriem invidebant; alii demum Majeſtatem Divinam ita proterve lædi indignabantur; quid ſentiebant; quid moliebantur? id nimirum, quod iratis & dolentibus res ipſa ſuggeſſit, ut, quorum ſcelera deteſtabantur, eorum etiam miniſteria contemnerent.

Atque

Atque illud adeo ſubmonet ut ad generalem hanc aſſertionem probandam accingar, viz. quod perſonalia Sacerdotum peccata ſecum unà trahunt officii Sacerdotalis & ipſius Religionis contemptum.

Verum hic loci, orationis præmuniendæ gratiâ, illud annotandum arbitror, quod Articulo viceſimo ſexto *Anglicana* docet Eccleſia, ſcilicet, quod inſtitutionum divinarum efficaciam, quæ unice ab Auctoris Dei arbitrio derivatur, Sacerdotum, ut neque adfert pietas, ita neque tollit impietas; cùm fieri nequeat, ut potentiam Divinam irritam redderet imbecillitas humana.

Unde ſequitur, peccare Laicos, qui, præ odio Miniſtrorum, Miniſterium ipſum averſantur. [a] Ἐπὶ τῆς Μωϋσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι· πάντα οὖν, ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε, καὶ ποιεῖτε· κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε· λέγουσι γὰρ, καὶ οὐ ποιοῦσι. Quorum ſcelera redarguit damnatque, eorundem auctoritatem revereri juſſit Chriſtus. Quare diſcrimine habito fiat judicium: nec Doctrinæ puritati obſit Docentis improbitas: ne, dum Hominem deteſtamur, Deum ipſum videamur contemnere.

Cum Sacerdotis ſit munus populum non modo præcepto docere, verum etiam exemplo dirigere, erit ſane Illius hac in parte de-

a *Matt.* 23. 2, 3.

linquentis

linquentis crimen longe atrocius; erit tamen populi decepti error culpabilis: fuerit ſane Illius pravitas execranda: at non Hujus temeritas excuſanda. [a] Οὐαὶ τῷ κόσμῳ ἀπὸ τ σκανδάλων· ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα· πλὴν ὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται· ea potiſſimum de cauſa, quia profanos Sacerdotum mores cognatione quadam delicti ſequitur ipſius *Officii* Sacerdotalis contemptus. Illud autem fieri dicimus non *directè*, & *neceſſitate Phyſicâ*, ſed *indirectè*, & *cauſalitate morali*; non, quaſi Illorum impietas Populi pietatem omnem neceſſario extinguat, ſed quod, prout humana jam comparatur natura, hoc fere ſemper accidere ſoleat. Quis enim neſcit maximam mortalium partem affectuum impetu potiùs quam ratione duci? & quibuſdam momentis omnium animos facilius trahi, & quaſi incitamentis adhibitis, ad certam actionum ſpeciem imprudentes impelli? Jam vero, cùm incitamenta iſthæc, alterius ingenio accommodata, Alter ita ſubminiſtret, ut rite ſequatur moralis effectus, conſtat, Alteri, quippe aliquatenus Auctori, Alterius actiones merito imputari poſſe.

Facti documenta quæritis? id, de quo agitur, argumentum recolite; ſi qua enim in re magna fuerit exempli vis, in hac certe re fuit maxima.

a *Matt.* 18. 7.

Sacer-

Sacerdotes nihil mediocre, nihil mere privatum aut facere aut pati videntur; in quantum Ipſorum pertingit Auctoritas, in tantum propagatur Publici ſive beneficii gratia, ſive damni contagio. Illorum unice in moribus, penè dixerim, ſpirat vigetque ipſa Religionis anima; quibus corruptis nihil plane corruptius; ſiquidem comitem una habuerit & Reipublicæ corruptelam. [a] Ὑμεῖς ἔστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου· [b] εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν ὑμῖν σκότος ἐστὶ, τὸ σκότος πόσον; Si, qui cæteris lucem præferre debent, iidem tenebris oppreſſi vagentur, quàm illico extinctus jacet omnis Religionis ſenſus! Populi error quam inevitabilis! [c] Ὑμεῖς ἔστε τὸ ἅλας τῆς γῆς, non doctrinæ modò, ſed etiam Vitæ puritate, ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.

Age vero, hanc Sacerdotum cauſam penitius excutiamus. — Videmus itaque Eorum, quæcunque fuerint peccata, aut in ipſa *adminiſtratione Sacerdotali*, aut in *moribus privatis extitiſſe*; quocunque demum modo admiſſa dixeris, videbis utrobique Religioni injuriam graviſſimam inferri.

Prioris generis peccatum ſi quod atrocius inciderit, cum per illud immediate Jehovæ Legiſlatoris majeſtas impudentius lædatur, & pro-

a *Matt.* 5. 14. b *Matt.* 6. 23. c *Matt.* 5. 13.

inde

inde populo inſpicienti aut incutiatur horror, aut provocetur indignatio, aut etiam confirmetur impietas: quod res ipſa ſatis loquitur, non eſt quod operoſius dicendo proſequar.

Unde autem eveniat, quod à *perſonalibus* & *privatis* Sacerdotum vitiis ad Religionem ipſam tantum detrimenti redundet, libet hujuſce rei cauſas breviter diſquirere.

Sunt vero Illæ pro diverſis hominum ingeniis diverſæ.

Sive enim imprimis cum indoctiori vulgo & tardioris ingenii viris res agatur; quid inde? Hi quidem, Miniſtrum & Miniſterium quid intereſt, parum dignoſcunt, utriuſque ſanctitatem juxta æſtimant; pecudum ritu, præeuntium veſtigiis inſiſtunt, & videntes, audientes, ſed nec ſcientes, temere quidlibet in imitationem tranſferunt. Illi ergo perfidos Duces ſecuti tota errant via. Unde obiter ſit illud obſervatum, quod eo gravius eſt Sacerdotum peccatum, quo magis Populi rudioris, qui Ipſorum unice exemplis ducitur, credulam ſimplicitatem deceperint. [a] οὕτω δὲ ἁμαρτάνοντες εἰς τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τύπτοντες αὐτῶν τ συνείδησιν ἀσθενοῦσαν, εἰς Χριςὸν ἁμαρτάνετε.

Sive porro cum doctioribus & acutioris ingenii viris res agatur; qui quidem ſunt, aut *Impii*, —

[a] 1 *Cor.* 8. 12.

aut

aut *Pii*: — *Impii*, qui nihil prius potiuſve habent, quam ut libidinibus impune obſequantur, & vitiis honeſtam prætendant faciem, plaudunt ſibi & gratulantur, Sacerdotem adepti, flagitiorum non ſocium modo, ſed etiam Ducem & Patronum; unde peccantibus, non modo licentia impunita, verum etiam Auctoritatis cujuſdam & triumphi ſpecies accedit. — *Pii* vero, quos ſollicita tangit Religionis vindicandæ cura, ita fere nequiſſimos Ipſorum mores indignabundi oderunt, ut res ſacras, quaſi profano Ipſorum tactu plane pollutas, refugiant; & partim irâ, partim dolore commoti, ita Dei gloriæ ſtudent, ut, ſui interim officii incautius obliti, ipſo nimiæ pietatis errore peccent: memorabile illud *Moſis*, hominum, quotquot extiterunt, longe mitiſſimi, exemplum infeliciter æmulati; qui in caſtris *Iſraeliticis*, quæ non ita pridem Dei præſentis terror compleverat, populi tumultuantis inſaniam, & illud Idololatriæ monumentum execrabile conſpicatus, adeo vehementi iracundia ſubito exarſit, ut binas Decalogi tabulas, quas Jehovæ ipſius digito inſcriptas acceperat, manibus temere projectas diffringeret.

Uſque adeo ad populi univerſi mores corrumpendos valet iſthæc Sacerdotalis exempli fœcunda malignitas!

Quid interea profuerit ingenii fulgor, & Eloquentiæ laus, ſi orationi vita non reſpondeat? nequicquam aliis id ſuadere ſtudes, quæ ipſe tibi non perſuaſeris. Chriſtiano ſaltem Oratori illud *Quintiliani* apprimè convenit. "Oratorem "inſtituimus illum perfectum, qui eſſe, niſi Vir "bonus, non poteſt: ideoque non dicendi mo. "do eximiam in eo facultatem, ſed omnes animi "virtutes exigimus." Dicta enim quis audiat, facta dum viderit? & quantilla eſt Argumentorum vis, quæ Orator tacitus refragante morum teſtimonio refellerit?

Si porro, prout recentiores quidam [a] Philoſophi loquuntur, *Actio* quælibet *Propoſitionis* vim habeat, ideoque officii *violatio* quævis ſit *Veritatis neceſſariæ negatio*, idcirco, quò ſceleratior quiſque, eò conſtantior exiſtit impiorum Dogmatum Vindex. Proinde Sacerdos, cujus officii ratio id proprium habet, ut ſcientiæ plenioris famam conciliet, cujus porro Auctoritas id habet, ut cuilibet aſſertioni quaſi imperatam fidem faciat, impie dum vivit, impietatem quodammodo commendat ſtabilitque; dum facile in tanti nominis obſequium credulus trahitur popellus, nec Religionem omnem ſpernere veretur, quam acceperit à Defenſoribus ſuis proditam, ab Interpretibus neglectam deriſamque.

[a] V. *Woolaſton* Relig. Natur. delin.

Eſt

Eſt Actio quidem omnis animorum teſtis longe veracior quam Lingua, ad perſuadendum omni oratione facundior. Quæ Auditorem languentem ſegniùs irritant, ea feliciter ſibi Ipſe conſcius tradit Spectator: ab oculis ad animam tranſit vivida exempli imago, & ſpectaculum inopina ſubſequitur imitatio.

Adde, quod hac in re non parum adfert momenti, ea eſt communis naturæ depravatio, ut omnes in partem deteriorem procliviores ſimus, & blando quodam præjudicio abrepti, quæ, libidinum cauſa, eſſe vera cupimus, ea repente pro veris amplectamur, ipſi ultro in re ſeria fraudem nobis facimus damnoſam; *Jeſuiticum* illud de *probabilitate* dogma ſecuti, quicquid unius atque Alterius ſacri Doctoris Judicio, &, quod longe majus videtur, Exemplo comprobatur, id licitum ratumque ducimus; tanquam reverendi nominis auctoritas ipſa quoque ſcelera conſecrare potuerit.

In ſumma, utcunque, prout ſupra notavimus, à Perſona ad Officium reverà & per ſe nihil redundet corruptelæ, nec de ſacrarum Adminiſtrationum efficacitate quidquam decedat, ita tamen, pro humanæ naturæ pravitate, vel imbecillitate, fieri comperimus, quod profanos Sacerdotum mores publica uſque ſequatur impietas: & Viris, non improbis modo, ſed etiam

bonis, injiciatur ita anceps & inevitabile peccandi periculum, ut Deum Opt. Max. Reipublicæ cauſa, quotidianis precibus obſecrare debeamus, ne per *Sacerdotum* peccata nos in tentationem induci patiatur.

Quæ cum ita ſint, quod ſupereſt, mecum unà ſtatuite, quam neceſſaria Sacerdoti ſit, ad Religionem promovendam, tum in Miniſterio publico pietas, tum in moribus privatis integritas.

Revelationis divinæ finem ultimum intuemini, (digniſſimum ſane illum propitio numine) æternam humani generis ſalutem: hunc in finem religioſi quidam ritus fuerunt inſtituti: his ritibus adminiſtrandis certus hominum ordo devotus: Hominum illorum intereſt, ſummo, quo poſſunt, ſtudio adminiſtrationibus ſuis gratiam & reverentiam conciliare. Religionis cauſam promovere, id demum eſt Reipublicæ bono conſulere: hoc qui rite præſtiterit, is demum Sacerdotis nomine dignus; hoc qui neglexerit, is jure habetur officii proditor & peſtis Reipublicæ teterrima. Cum igitur ex jam ante dictis conſtet Perſonalia Sacerdotum peccata ſecum una trahere Religionis ipſius contemptum, quid reſtat? niſi ut ex adverſa parte ſtatuamus, ad ipſius reverentiam populique adeo felicitatem promovendam, exigi in Sacerdotum moribus,

tum

tum publicis, tum privatis, eximiæ pietatis & innocentiæ exemplum.

Officii profecto Sacerdotalis ſive Auctorem, ſive Materiam, ſive Finem quis perpendat, quantam omni ex parte mirabitur illico conſurgere ſanctitatis dignationem! En ſingulares illius, quibus nihil majus humana recipit natura, honores, ab Apoſtolo ſummatim magnificeque deſcriptos! [a] Πᾶς γὰρ Αρχιερεὺς ἐξ ἀνθρώπων λαμβανόμενος ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, ἵνα προσφέρῃ δῶρά τε καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν.

Cum *Iſraeliticus* populus omnis Jehovæ ſacer haberetur, quanto uberior *Sacerdotibus* ineſſe debuit ſanctitatis commendatio? ipſi ritus externi, qui quidem varii præcipiebantur, totidem extiterunt puritatis internæ Symbola. Ad miniſterium non admittebatur corporea labes; nihil, niſi integrum perfectumque, exiſtimabatur Deo dignum; ne forſan illud Religionem ipſam dehoneſtaret, quod eſſet in Homine deridendum. ——Ne plura commemorem, inſtar omnium Pontificalis mitra inſcriptam geſſit *Sanctitatem Jehovæ*. —— Εἰς τοῦτό τις ὀρέων εὐσεβὴς ἔσω.

Si vero Lex *Moſaica Levitis* totidem ſive pietatis ſymbola exhibuerit, ſive officia præceperit, quales eſſe nos oportuit *Chriſtianos*, quibus obtigit miniſterium longe præſtantius? [b] Εἰ γὰρ ἡ

a *Heb.* 5. 1. b 2 *Cor.* 3. 9.

διακονία

διακονία τ καταχείσεως δόξα, πολλῷ μᾶλλον περισσεύει ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης ἐν δόξῃ. Quamobrem Chriſtiani certe Sacerdotes in eo jure ſibi elaborandum eſſe exiſtiment, ut, quo uno Chriſtiani Hominibus cæteris præſtare debent, in eo Ipſi Chriſtianis cæteris omnibus antecellant.

Ut vero omittam, quæ hac de re paſſim traduntur, præcepta, ipſi profecto, quibus inſigniuntur, tituli afferunt ſecum, ut laboris & dignitatis, ita & præclaræ ſanctitatis officia: admonentque ut doctrinam moribus ornent, &, quò debita miniſterio reverentia concilietur, ipſi ſe revereri diſcant. Qui, Laicorum vitiis obſequio ſervili lenocinans, de dignitate deſcendit ſua, cum virtute, unà perdidit & Auctoritatem: Ipſe ſui proditor, Laicis contemptus, pariter & inviſus!

At vero ſinceræ pietati ineſt mira quædam vis & ſuadela ad docendum eloquio omni longè efficacior.

Qui in deſerto vitam inopem ſeveramque coluerat, nulla ſceleris labe inquinatam, potuit Ille quidem pœnitentiam inculcare, ſplendidam Curiæ nequitiam, ipſiuſque Regis infamem libidinem, magno non ſine dignitate & auctoritatis cujuſdam ſpecie, palam reprehendere. [a] ὁ γὰρ Ηρώδης ἐφοβεῖτο τ Ιωάννην εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον κ ἅγιον.

a *Marc.* 6. 20.

Tu

Tu vero quis es, qui charitatem verbis magnifice prædicas, factis interim iras & inimicitias fovens? Sinceritatem, ſubdolus Hypocrita?

Tu quis es, qui de rerum humanarum contemptu, de Eccleſiâ, Clerique dignitate declamitas, rei interim privatæ unice ſtudens, &, niſi hujus mundi quod fiet, in Eccleſia curans plane nihil?

Tune mihi temperantiam caſtitatemque commendas libidini interim deditus & ebrietati? [a] ὁ οὖν διδάσκων ἕτερον, σεαυτὸν οὐ διδάσκεις; [b] ἐν ᾧ γὰρ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις, τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων. Iſtiuſmodi ineptus monitor audientibus adeo non doctrina prodeſt, ut ſæpius riſum moveat vel indignationem; [c] ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτόν. Quî enim crediderit quiſpiam Illum ſalutis alienæ curam gerere poſſe, qui ne de ſua quidem eſt ſollicitus? Uſque adeo ad dictis fidem faciendam vitæ inſuper integritas deſideratur!

Et hæc quidem, quæ diximus, ad Cleri Chriſtiani *Univerſi* officium ſpectant; libet porro peculiare quoddam, quod ad *Eccleſiæ Anglicanæ* Clerum potiſſimo jure refertur, commemorare,— Eccleſiæ, quæ *Reformatæ* titulo, quo nihil plane glorioſius, ſe non fruſtra jactitavit. Jam vero *Reformationis* ipſa ratio denotat ſingularem

a *Rom.* 2. 21. b 2. 1. c *Luc.* 4. 23.

quan-

quandam puritatem reſtitutam, quam aliena corruperat impietas: adeoque nomen ipſum extabit perpetua vitæ degeneris exprobratio, perenni interim admonens documento, ut, quibus doctrinæ purioris laude antecellimus, eos etiam innocentia vitæ ſuperemus. [a] Λέγω γὰρ ὑμῖν ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Sacerdotum *Iſraeliticorum quale quantumque* fuerat peccatum, abunde videor explicuiſſe. — Maxime vellem, ut, quæ in illis execranda vidimus, ea eſſent à *Chriſtiano* nomine prorſus aliena! — Verùm, ſi qua in Eccleſia novimus extitiſſe criminum conſimilium exempla, videamus quàm indignum ſit, quod in aliis merito damnavimus, id ipſum imitari. [b] Εἰ γὰρ ἃ κατέλυσα, ταῦτα πάλιν οἰκοδομῶ, παραβάτην ἐμαυτὸν συνίστημι.

Ergone *Pontificii*, in *Regimine Eccleſiaſtico* res novas moliti, contra normam diſciplinæ Apoſtolicam, oppreſſa fratrum Chriſtianorum libertate, nefariam invexerunt Tyrannidem [c] καταϰυριεύοντες τῶν ϰλήρων, hominique (pene dixerim *Jovi ſuo Capitolino*) honores divinos arrogarunt? — Sentio equidem quam minime ad nos pertinere videatur hoc Eccleſiaſticæ Tyrannidis crimen:

a *Matt.* 5. 20. b *Gal.* 2. 18. c 1 *Pet.* 5. 3.

ita

ita hac ſaltem in parte ab Ipſorum exemplo longiſſime diſceſſimus.

Ergone Illi in *miniſterio ſacerdotali* ſimplicitatem primævam damnoſo rituum apparatu corruperunt, [a] ἀκυροῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τῇ παραδόσει αὐτῶν ᾗ παρέδωκαν, καὶ [b] διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων· ad oſtentationem omnia, non pietatem, ad quæſtum privatum, non Dei gloriam comparantes; imo ita ſibi tribuerunt omnia, ut Laicis etiam debitam Sacramenti partem denegaverint? —

Ergonè Illi porro, in obeundo munere *Prophetico*, erranti populo adeo non lucem prætulerunt, ut etiam ignorantiam confirmaverint, [c] ἄραντες τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως, καὶ [d] κλείοντες τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων;

Ergonè Illi denique, rei Politicæ magis quam Eccleſiæ ſtudioſi, primævæ *fidei doctrinæque* puritatem *Phariſaicâ* quadam novorum dogmatum, impiarumque ſuperſtitionum ζύμῃ contaminârunt; imo & Eccleſiæ diſciplinam venerandam *Indulgentiarum* venalium, & impunita ſcelerum licentia adeo penitus dehoneſtârunt, ut impietatis, luxuriæ, avaritiæ multiplici exemplo præeuntes, populum, aut deceptum, in tantorum criminum imitationem impulerint, aut, indig-

a *Marc.* 7. 17. b 7. c *Luc.* 11. 52.
d *Matt.* 23. 13.

nantem à cultu divino plane retraxerint? —— intelligant profecto cauſam *Hophni* & *Phinees* fuiſſe à ſe non alienam: intelligant fuiſſe ſuum quoque *peccatum coram Domino grande nimis.*

Hæc qui attentius inſpexerit deſinet aliquando mirari, ſi ruinam aliquando traxerit tanta nequitiarum moles, jam diu magnitudine laborans ſua, & totidem corruptelarum immanitatem ſecuta ſit aut Reformatio, aut Seceſſio.

Felices judicii! qui in re momenti tam ancipitis modum tenere potuerunt; qui ita Eccleſiaſticorum vitia rejecerunt, ut priſcum Eccleſiæ Regimen non immutaverint; ita excuſſerunt Tyrannidem, ut Licentiam non invexerint; ita demum à *Pontificiorum* erroribus diſceſſerunt, ut ad normam *Apoſtolicam* propius acceſſerint!

Ad quos tanta laus pertinet, ad eoſdem adeo pertinet id potiſſimum negotii, ut Religionis, quam à Majoribus ita feliciter Reformatam acceperant, famam pari cum fortitudine tueantur: videant quo in loco res ſibi poſitæ ſint, quàm arduo plane lubricoque! [a] οὐ δύναται πόλις κρυβῆναι ἐπάνω ὄρους κειμένη. Eccleſia Anglicana jam diu quibuſdam odium excitavit & invidiam, quibuſdam admirationem & ſpes erexit, omnium certe animos commovit. In hoc tanto rerum diſcrimine quid prius potiuſve vobis, Reverendi

a *Matt.* 5. 14.

Fratres,

Fratres, faciendum reſtat, quàm ut juxta Apoſtoli monitionem, his certe temporibus perneceſſarium, [a] περιπατῆτε εὐχημόνως πρὸς τοὺς ἔξω· [b] ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῇ, μηδὲν ἔχων περὶ ὑμῶν λέγειν φαῦλον.

Intuemini imprimis *Pontificios*. Illine adeo Vobis hæreſis crimen affingunt? calumniam hanc iniquiſſimam refellat veſtra honeſtiſſima Fidei Orthodoxæ defenſio: ut deſinant aliquando maledicere, dum vos animadverterint [c] ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει.

Illine porro vobis vitio vertunt profanam in rebus ſacris adminiſtrandis incuriam, rituumque venerandorum contemptum? hanc criminationem malignam veſtra redarguat [d] ἡ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλία. [e] Οὕτω λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ut Illi veſtræ ex pietatis lumine lumen accendant ſuum. Miniſterio auctoritatis quiddam & ornamenti adferat ipſa Miniſtrantis reverenda Sanctitas: nec Religioni, quæ quidem præcipue in [f] πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ peragitur, deſit etiam externi decoris commendatio: [g] πάντα εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γενέσθω.

Quam prorſus indignum eſt eo, qui inter Deum Hominemque Legati perſonam gerit, Li-

a 1 *Theſſ.* 4. 12. b *Tit.* 2. 8. c *Ep. Jud.* 3.
d 1 *Tim.* 6. 3. e *Matt.* 5. 16. f *Joh.* 4. 23.
g 1 *Cor.* 14. 40.

turgiæ officia, quibus nihil gravius ſanctiuſve, oſcitanter percurrere? [a] Vah — tantamne rem tam negligenter agere! ita ut populo, aut dormitanti Religionis ſenſum omnem extingui patiatur, aut vigilanti bilem moveat, & à cultu divino quodammodo invitum retrahat? Videor videre ridiculos Miſſarum Caupones; infames illos Sacrificulos, qui, conductæ vocis officium venditantes, ſatis ſibi placent, opere operato, ut loquuntur, majore cum ſuo quam popularium fructu perfuncti.

Videte quantæ iſthoc eſt levitatis & turpitudinis id ipſum in Eccleſia *Reformata* admittere, quod in *Romana* non erat tolerandum! Adminiſtrationes ergo publicæ veſtræ omnes tantum abſint ab impietate, quantum abſunt à ſuperſtitione.

Intuemini deinde *Puritanos*. In ipſo *nomine* quantum eſt opprobrii? pereat æternùm ipſius, quæcunque fuerit, cauſa! —— Quid vero hoc eſt vecordiæ, ſi quidem aliquando olim extiterint Hypocritæ, [b] ἔχοντες τὴν μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι, ideo præ illorum odio aut contemptu pietatis externæ ſpeciem omnem rejicere? Quin potius Apoſtolicæ, ut diſciplinæ, ita & puritatis exemplum æmulati, omnem illis cavillandi anſam præcidatis, cum nihil in mo-

a Vid. Append. b 2 *Tim.* 3. 5.

ribus

ribus culpandum viderint: [a] μηδεμίαν ἐν μηδένι διδόντες προσκοπὴν ἵνα μὴ μωμηθῇ ἡ διακονία.

Quamobrem pudeat Sacerdotem, id ipſum, quod Petro Chriſtus, officiorum inſtar omnium, & amoris erga ſe teſtimonium ampliſſimum, commendavit, gregis paſcendi curam, præ incuria aut perfidia deſerere! pudeat Dei miniſtrum Avaritiæ & Luxuriæ famulari: & Probitatis diſpendio Ambitioni velificari; & ita demum rebus Politicis ſe penitus immiſcere, ut vix meminerit eſſe ſe Chriſtianum, Illius Magiſtri diſcipulum, qui ab iſtiuſmodi curis ad officia ſpiritualia affectus revocavit, profeſſus *regnum ſuum hujuſce mundi non eſſe.*

Quid denique *Infideles?* quid aliud agit tanta Illorum impietas, quàm ut Vobis aut provocet aut commendet omnimodæ pietatis officia diligentius præſtanda? Illine factis dictiſque veſtris inſidiantur, ut aliquid in ludibrium culpamve trahant? eò cautius Vobis agendum exiſtimate: eodem, quo erga Ethnicos primævi Chriſtiani, animo uſi, puriori tum doctrinæ, tum morum exemplo ſpectabiles, opponite Ipſorum erroribus veritatem, nequitiæ integritatem, pervicaciæ modeſtiam, juxta admonitionem: [b] ἕτοιμοι δὲ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν παντὶ τῷ αἰτοῦντι ὑμᾶς λόγον περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος, μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου· συνείδησιν

a 2 *Cor.* 6. 3. b 1 *Pet.* 3. 15, 16.

ἔχοντες

ἔχοντες ἀγαθὴν, ἵνα, ἐν ᾧ καταλαλεῖσιν ὑμῶν, ὡς κακοποιῶν, καταισχυνθῶσιν οἱ ἐπηρεάζοντες ὑμῶν τὴν ἀγαθὴν ἐν Χριστῷ ἀναστροφήν. Quos Argumenti vis minus movet, eos ſaltem vitæ puritas movebit; triumphabit de aſtutia ſimplicitas, de malignitate innocentia; ita ut Ipſi adverſarii virtutes, quas inviti venerantur, aliquando inceperint imitari.

Vidimus jam antea quam facili tranſitu à vitiis Miniſtri ad Miniſterium, à Cleri ad Religionem ipſam deducitur contemptus. En ergo, inter alias, hanc maxime ſpecioſam Infidelitatis cauſam!

Abſit, ut eo nomine quicquam nobis imputari poſſit! —— Verum, ut ut illud fuerit, ſeveriorem ſolito in moribus ſive conformandis ſive reformandis adhibere curam ſubmonet ipſa temporum iniquitas, quæ indies nova licentiæ pariunt monſtra, & in Chriſtianæ libertatis opprobrium Infidelitatem vident audacius triumphantem. Ut huic graſſanti malo occurrere, & religionis violatæ cauſam digne ſatis vindicare poſſimus, [a] ποταπους δει υπαρχειν ημας εν αγιαις αναστροφαις και ευσεβειαις; illud certe, quod à quorundam turpi exemplo ducitur, exemplo viciſſim noſtro laudabili diluamus argumentum, innocentia morum feliciùs quam acumine in-

a 2 *Pet.* 3. 11.

genii

genii refellendum. [a] ὅτι οὕτως ἐστὶ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, ἀγαθοποιοῦντας φιμοῦν τὴν τῶν ἀφρόνων ἀνθρώπων ἀγνωσίαν.

Quod demum ut auſpicatius fieri poſſit, ſerio recolamus, Reverendi Fratres, tum illa, quæ de ſacra officii ratione accepimus à Deo præcepta, denunciata, promiſſa: tum, quæ Ipſi cum miniſterio unà ultro ſuſcepimus incorruptæ Sanctitatis vota: &, quod *Timotheo Paulus*, id Sibi quiſque non fruſtra dictum putet: [b] Τύπος γίνου τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει, ἐν ἁγνείᾳ· [c] τοῦτο γὰρ ποιῶν, καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου.

a 1 *Pet.* 2. 15. b 1 *Tim.* 4. 12. c 16.

APPENDIX

Ad pag. 28. Vah! tantamne rem tam negligenter agere!

SENTIO me in querelæ & reprehenſionis juſtiſſimæ materiem incidiſſe; quam valde cupio ab Academicorum hominum cauſa fore alienam.

Ecce enim, quod indignans jure mireris, Eloquentiæ ſtudium, quo quidem apud *Græcos Romanoſque* nihil præclarius celebrabatur, imo & ipſam pronuntiationis genuinæ & decoræ facultatem à pleriſque penitus neglectam, ab aliquibus ſedulo corruptam. — Ne vero hæc à me temere dicta exiſtimes, ad Auditorum in hac parte judicia atque ſenſus provoco: imo vero hæc mecum una ipſe experiundo ſenties.

Quid enim? — Agedum, Hoſpes, *Britanniam* univerſam peragra: per rura, per urbes, quaquaverſum Eccleſias ingredere ſpectator & Auditor; quid ibi rerum agatur vide. Oratorem nempe Chriſtianum quæris. — Verum enimvero quotuſquiſque illorum, qui paſſim in Roſtra prodeunt, nomine tam venerabili dignus reperitur? quotuſquiſque, qui verba vel ſua vel divina apte, diſtincte, graviter pronuntiare ſtudet, & Audientium affectibus ita dominari, ut omnia non ad famam ſuam, ſed ad illorum οἰ-

οικοδομην, ad pietatis incrementa unice referat? Profecto ſingula circumſpiciens & explorans aliquando invitus fateberis & hic & illic perorandi cacoethes quoddam invaluiſſe; & ab oratoribus noſtris diverſo in genere plerunque peccatum eſſe; cum à rei divinæ dignitate nihil magis abhorreat, quam illa, quæ in pleriſque cernitur, vocis incompoſitæ præcipitata volubilitas, — in aliis ignava quædam muſſitatio & oſcitantia,—in aliis demum affectata artis ſcenicæ oſtentatio. Quocunque tandem te converteris, vereor ſane ut votis reſpondeat res, ne aut aures aliquando fraudatæ amplius quiddam deſiderent, aut ſæpius laſſatæ cum faſtidio audita refugiant.

En adeo Sacerdotem hunc noſtrum! finge illum in Liturgiæ ſuæ curriculo revolubili rite exercitatum! finge illum animo, prout Oratorem ſuum *M. T. Cicero*, qualis eſſe debuit; ecquid gravius ſanctiuſque? en ille, populi Legatus, ſupplicans, deprecans, laudans, Deum alloquitur: & hæc quidem omnia quam ſuppliciter, obnixe, & reverenter? — Idem etiam ad populum de Deo loquitur, divina recitans oracula: quam magnifice hæc & elate, &, ut ita dicam, imperatorie! — Identidem hiſtoria narratur ſacra — quam ſimpliciter, & diſtincte! Præcepta itidem inculcantur, quam graviter, & ſevere! — nunc animos vocemque attollit, arte omni Rhetorica major, Iſaiæ grandiloquentia: nunc

nunc dicenti vehementiam excitat intenditque argumentationis Paulinæ δεινοτης admiranda. — En quales affectus & ſtudia res ipſa flagitat provocatque!

Ubinam vero reperitur iſtiuſmodi Sacerdos, qui re ipſa officii tam venerabilis αξιωμα tuetur? — Imprimis adeo vide Parœcialem illum ruſticum, in Liturgiæ ſuæ curriculo revolubili exercitatum! Quid autem? quid illico hæres refugiſque, faſtidioſus Auditor? — videre videor te reclamantem protinus "Hoccine eſt tolerabile "& Deo dignum, ut ſua rebus ſacris evileſcat "gratia pretiumque? ut eloquentiæ, quæ qui-"dem omnium eſt prima, divinæ cura fere nulla "impendatur? quid hoc eſt pravæ repræſenta-"tionis, quæ τα θεοπνευστα ſibi prorſus diſſimilia "exhibet, quæ aut Dei imperantis præcepta "proponit frigida, aut indignantis minas iner-"mes? ita ut in propheta noſtro non amplius "agnoſcatur illa ſtili atque ſententiarum laudata "ſublimitas; ut in orationibus *Davidicis* deſide-"retur quicquid erat vis Patheticæ; ut Apoſ-"tolo demum diſputanti quaſi nervi ſuccidantur, "& infracta ſuccumbat vehementia?

"Cuinam jure bilem non moveat hæc paginæ "ſacræ probroſa dehoneſtatio & quaſi Majeſtas "læſa? dum, nullo dignitatis habito diſcrimine, "res toto genere diſſimiles & diverſæ commiſ-"centur indiſcretæ, unoque demum et eodem vo-

" cis tenore promiſcue omnia & quidem inepte,
" oſcitanter, aut faſtidioſe proferantur? O mi-
" ram facundiæ popularis laudem, quam parit
" hæc tam otioſa pronuntiandi facilitas! ubi paſſu
" æquabili & inoffenſo tranquilla decurrit oratio,
" & ſoporifera quædam in longum protenditur
" monotonia, oblivionem ſenſibus inducens pla-
" cidiſſimam!

Quin & Eccleſias adi, quas Metropolis noſtra jactat, eloquentiæ ſingularis laude florentes. Hac profecto in parte præclarum quiddam tibi non fruſtra polliceri videris. At hic etiam pronuntiationis pravæ cujuſdam conſuetudinem dominari ſenties, non quidem ſocordiæ & oſcitantiæ, ſed diligentiæ forſan nimis ambitioſæ, & arrogantiæ crimen ſplendidum.

Quin age rem omnem mecum una diſpice: animis audientium pietatis ſenſum quoquo modo ingenerare ea eſt curarum ſumma, ea demum oratoris Chriſtiani laus præcipua. Quid autem eſt ab oratoribus noſtris hac in parte allaboratum, & effectum? — De *Paræciali ruſtico* illo jam vidimus: peccare nempe illum per torporem quendam & deſidiam, cum ſatis habeat opere præſcripto per otium quoquo modo defungi, audientium quieti ſimul conſulens & ſuæ.

Quid vero *urbanus* ille noſter? profecto longe aliam ille inſtituit viam, ab inertia & oſcitantia adeo

adeo alienus, ut potius ſedulitate ipſa peccet, plus æquo officioſus, & præ nimio placendi ſtudio viris cordatioribus jure diſpliceat. — En autem, veluti in ſcenam Hiſtrio, in Roſtra prodit concionator: urbanitatis apparatu præludens, tanquam prologo, etiam tacitus benevolentiam conciliat: habitu in ipſo veſtituque & geſtu facundia quædam ſpectabilis oſtentatur. Quanam vero ſpe & conſilio inceptat, rogas? totus ambitioni velificatur ſuæ: plauſus captat populares, id agens unice populo ut placeant, quas fecerit, fabulæ. Jam vero eloquentiam hancce qualem eſſe dicam? — non profecto *Demoſthenicam*, non *Ciceronianam*: ſed neque vulgarem ſimplicemque; certe non eam, quæ hiantibus ſtuporem atque ſomnos inducat; ſed eam potius, quæ vigilantium ora oculoſque ad ſe convertat, quæ expectationem, quæ porro ſui admirationem excitet, aliquid novi ſemper apportans quod varietatis gratia captos delectet. En adeo θεαμα ſimul & ακροαμα, quorum alterum exhibet corporis, alterum compoſita vocis modulatio; utrumque à Theatro traductum, & quidem parili plauſus captandi ſtudio accommodatum. Ita demum comparata vides omnia, ut placere potius quam prodeſſe poſſint, non ut audientium judiciis ſeverioribus ſatisfaciant, ſed ut populi faſtidiis lenocinentur.

Quid

Quid autem de Concionum *materie* dicam? inepta profecto utplurimum illa & levidenſi, non ſane dogmatica aut Evangelica, nec ad οικοδομην quidquam conferente, χρυσον, αργυρον, λιθος τιμιους, ſed potius ad detrimentum & ruinam, ξυλα, χορτον, καλαμην, ſpecioſa potius & futilia, quam ſolida & pretioſa. Nempe forſan de Moribus neſcio quæ, vel de lana caprina declamitatio jactitatur: populus frequens accurrit, applaudit: & quicquid eſt laudis oratoriæ id omne ſuppeditat Hiſtrionia. Quorſum vero tendit oratio? & quales ſententiæ? non quæ hominis Chriſtiani ſive perorantis ſive audientis ſeveritati conveniant, non quæ animos pietatis affectu accendant, ſed eæ potius, quæ in ingenii luſu aliquo verſentur, quæ ad Civis alicujus *Attici* liberalis & ingenui elegantias attemperentur, aureſque delicatas, in tranſitu, nugis quibuſdam canoris deliniant, aut vacantem animum pictura paſcant inani.

Verum, his jam omiſſis, de *Elocutionis modo*, in quo potiſſimum & ipſe ſibi & forſan aliis pleriſque placet, brevis inſtituatur diſquiſitio. Quid autem? Illumne in Oratorum numero accenſendum *M. T. Cicero* exiſtimaret? hominem perfrictæ frontis, quidlibet temere affectantem, & verborum inani volubilitate profluentem? qui neque ad rem apte, neque pro rei dignitate graviter,

graviter, neque pro varietate ſubactæ vocis flexiones moderari novit? Laudetur ſane quæcunque hac in parte verſatur diligentia, at interim repellatur & caſtigetur hominis inverecundi arrogantia. Permagnum quiddam eſt Oratoris & quidem maxime Chriſtiani ἀξίωμα. Certe non vociferatio, non omnium, quotquot in Rhetoricæ hortis naſcuntur, floſculorum oſtentatio, non chironomia, non quicquid eſt in arte Hiſtrionica geſticulationis veram eloquentiæ laudem conſtituit. — Jam vero in Oratore hoc noſtro, quem vulgus tantopere admiratur, elocutionis rationem qualem eſſe ſtatuemus? Me quidem audientem ſæpe mirari ſubit quid illud eſſet, quod hominum ſenſibus atque judiciis ita fraudem faceret, ut orationem illam maxime probarent, quæ quidem, nequid gravius dicam, à re ſubjecta erat prorſus aliena, & Scenæ magis quam Roſtris conveniens. Equidem nihil video quod tale auribus obſequium imperet præter ſingularem perorantis arrogantiam. Quid enim? deſideratur imprimis illa, quæ in hominum oculos incurrit, ſeveritatis & ſanctimoniæ ſpecies externa. Ubinam porro illa animorum medullas penetrans in argumentatione δεινοτης & vehementia? ubinam in affectibus excitandis aut ſedandis flexanima illa πειθω, quæ audientium cordibus dictorum aculeos infixos relinquit? In ſumma, deſideratur

ſideratur illud, quod eſt omnium rerum primum, το πιϛον, * illa, quæ verbis fidem faciat, eximia dicentis autoritas. Profecto orator Chriſtianus eſſe poteſt nemo niſi vir bonus; proximus erit, ſed longo proximus intervallo, qui illius ſpeciem præ ſe fert honeſtam, bene larvatus Hypocrita. Nempe caput eſt artis artem celare; verum hic noſter dicendi artificio ita triumphat, ut imprudens Hypocritam ſe indicio prodat ſuo, cum non ex animo ſed induſtria quadam ſolerti & fictione dicere videatur. Quanquam vero quænam iſta eſt vocis tantopere laudata modulatio? Equidem, niſi mihi aurium ac animi judicia vehementer fallantur, affirmare auſim illam eſſe utplurimum abſonam & απροσδιονυσον, imo demum toto genere vitioſam; cum nihil afferat vere παθητικον, ſed quaſi laſciviens varietate quadam ridicula ſubſultet, identidem tam emphatice omnino omnia proferens, ut in ſententia emphaſis prorſus nulla diſtinguatur; ſubinde vero facilitate tam eleganter otioſa decurrens, ut nulla omnino mentis ſignificatio appareat, nec ulla decurſûs numeroſi veſtigia maneant impreſſa. Agedum, tu orationis laudator, recole quid didiceris; quæ mens? quæ ſententia? —

* Hoc citius efficiet incondita, ſed ab animo flagranti proficiſcens, quam omnium Rhetorum machinis inſtructa, ſed e labiis non è corde profluens, oratio. — *Eraſm. Eccleſ. l.* 3.

com-

—— comprenſa manus effugit imago,
Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno.

Video demum illud quod præcipue curat, ut ſcilicet aures delicatas & faſtidioſas nulla ſonorum aſperitas offendat, atque adeo ut periodorum clauſulæ rotundentur æquabiles & ὁμοιοτέλευτοι· huc redit eloquentiæ laus ſumma. Quid igitur aliud de oratore hoc noſtro ſtatuas, quam eo homine qui *verboſis ſibi famam acquiſivit ſtrophis, non ulla artis prudentia, verum ſtupore vulgi factus nobilis?*

Non eſt quod pluribus proſequar: non eſt quod hominem è Roſtris ad ſuggeſtum deducam. Qui ſedulo verbis abuti ſuis non veretur, illum profecto alienis & quidem ſanctioribus abuti poſſe facile intelligas.

Hæc quidem à me dicta eò tendunt ut hiſce exemplis admonitus Chriſtianus noſter Eccleſiaſtes λειτουργειας ſuæ ſanctiſſimæ omni in parte diligentius adminiſtrandæ dignitatem re ipſa tueatur & commendet. Atque adeo oratorum duplex genus deſcripſi: quid ab utriſque ſit maxime peccatum animadverti, huic autem incommodo remedium quale & quo modo adhiberi queat poſtmodo diſquirendum reſtat. — Verum interea quonam fato noſtro fieri dicam quod inter Theologos noſtrates, quos quidem ingenii ſcriptorumque fama inclaruiſſe novimus, tam

pauci in Roſtris oratores extiterint? Quid hoc eſt morbi pene dixerim *Anglici** ſive mali cujuſdam pudoris, qui ſenſibus languorem inducit, ingenii vires debilitat, linguæque & ori, mem-

* Cum exempla magis moveant quam præcepta, rerumque deſcriptio plerumque magis placeat, libet pauca quædam quæ δεινα de Concionibus, quibus apud Pontificios interfuit, annotavit ex Epiſt. peregr. tranſcripta exhibere.

Περι δε των ενταυθα δημηγοριων ουτως γιγνωσκε ως αλλως πως, η των παρ' ημιν, ως πλειστα δημηγορουμενων· ου γαρ ησυχαζει ο Ρητωρ εκ του βιβλιου το ηδη γεγραμμενον παρεργως αναγινωσκων, μονοτονος την φωνην, ακινητος το σωμα, και, ως εοικεν απαθης την ψυχην· των τε ακροατων μεταξυ καθ' ησυχιαν αυακειμενων, ρεγκοντων τε ισως και καθευδοντων· αλλα φανερος εστι τον τε νουν και απαν το σωμα εξησκημενος, και τεχνικως απαντα εφεξης εκπονων· το μεν πρωτον πρεπως και διδακτικως θεθολογιζων, επειτα δε βαθην ανορθωσιν εαυτον μαλα εμφατικως απαντα διαχυριζεται· και ταυτα ουκ εκ προμελετησεως, αλλ' αυτοσχεδον και αυτοματως, ως εοικε, ρεοντα θεοθεν, και, ομοιοπαθης γενομενος τω λογω, των ακροατων φρενας ωσει εξ επιρροης πολιορκων κατακυριευει, ως' ωδενα κοιμωμενον η σχολαζοντα καθησθαι (πολλα δε και δει) αλλα χρηναι απαντας την αγχινοιαν κεντρομενους, ωσπερ τι και ομμασι απο του Ρητορος απηρτημενους.

Et hæc porro de *Franciſcano* quodam concionante

— επι δημηγοριαν ο λαος συνηλθε και ευθυς επι βηματι τεθεισμενος Ρητωρ τις, ουκ ο τυχων ανηρ, αξιοθεατον δηλαδη το πρημα,

Αστεμφης την οψιν αϊδρει φωτι εοικως,
Αλλ' οτε δη ρ' οπα τε μεγαλην εκ στηθος ιει
Και ρ' επια νιφαδεσσιν εοικοτα χειμεριησιν
Ουκετ' επειτ' ερισειε Καπανηϊνη βροτος αλλος.

λιγυφωνοτατος γαρ ην και προς λογοποιειν δεινοτατος, ολος ενθουσιαζων ομμασι, χερσιν, ωμοις, τω θ' ολω σωματι αγωνιζομενος εδημηγορει· ωστε μοι Αχιλλη γε οντι θαυμα πολυ και τερψιν εγγινεσθαι· και μαλα αγωνων τα ειρημενα ομως ηγαθην τον ανδρα.

briſque

briſque adeo omnibus ſuam propriam, quam ſingulis natura ingeneravit, vocalitatem & facundiam invidet; ita ut, cui præ cæteris oratio exultare & triumphare debet, orator ille Chriſtianus, quaſi frigore repentino perculſus torpeat exanimis prorſus & elinguis, nihil unquam præclarum & laudabile vel aſſecutus, vel auſus? — unde hoc contigiſſe dicam? Haud profecto ex aliqua cauſarum neceſſitate. Imprimis materiem ſubjectam mecum una diſpice: fortaſſe dubitabis an in ſanctimonia & ſeveritate tanta aliquis fuerit eloquentiæ locus. At vero in Rhetoricæ totius curriculo nihil reperitur pro dignitate rei gravius, pro varietate nihil admirabilius, nihil denique commodius potiuſque, in quo cura omnis ſtudiumque impendi debet.

An vero operis difficultas dehortatur? Equidem nihil magis in promptu eſſe reor, nihil facilius, ſiquis hac in parte naturam ducem ſequi velit, atque adeo affectuum, qui pro re nata varii excitantur, ſimplicitatem genuinam verbis exprimere. Etenim gaudentibus, dolentibus, indignantibus, admonentibus, ſupplicantibus, deprecantibus proprium quendam vocis tonum natura præſcripſit; ita ut homines indoctos barbaroſque pro re nata vehementius commotos aliquando mire rhetoricari videas, &, quam minime affectant, eloquentiæ laudem inopinantes

conſequi. — Quid ergo aliud eſt in cauſa? de materie enim ſubjecta jam vidimus, ab illa ſcilicet adeo non reſpui eloquentiam ut etiam provocetur atque alatur. Quid, inquam, eſt in cauſa? ut, quod res eſt, aperte dicam, nos ipſi nobis deſumus: hac in parte nihil eſt à nobis pro rei dignitate ſedulo elaboratum, aut attentatum: imo vero in momenti graviſſimi negotio plane otioſi videmur; ita prælegimus & concionamur, tanquam aliud agentes, nulla interim divini numinis reverentia, nullo pietatis affectu commoti, qui quidem ſi revera animis ſubeſſet, profecto in perorantibus Auditores eloquentiæ laudem minus deſiderarent. Non opus eſt Rhetoricæ præceptis. *Habitus ille mentis*, inquit Eraſmus, *ſincerus & perfectus facundiam rebus ſacris dignam & pronuntiationem appoſitam & geſtus decentes ultro ſuggeret etiam non affectanti.* "*Nihil efficacius ad concitandos pios affectus quam* "*ſi ipſe fueris pie affectus*; *neque quidquam utilius* "*ad ſedandos improbos affectus quam ſi ipſe fueris* "*ab iis alienus: nemo potentius revocat à vitiis* "*quam qui ipſe in animo odit vitia: per hunc* "*enim ipſe ſpiritus loquitur ſuumque donum tranſ-*"*fundit in Auditores: nec id mirum, quando* "*vera pietas in oculis, vultu, totoque corporis ha-*"*bitu relucens, etiamſi non accedat quaſi vehicu-*"*lum oratio, rapit & afficit intuentes.*" &c.

Interim

Interim desinamus mirari, siquidem Auditores minus commoveantur, cum Orator ipse rei subjectæ sensu plane nullo commoveri videatur. Quid tritum illud *Horatianum* —

— si vis me flere, dolendum
Primum ipsi tibi — &c.

Quid porro illud Rhetoricorum memorem, "frustra id aliis suades quod ipse tibi non persuaseris?" Intelligat profecto orator Christianus ad se potissimum præcepta hæc pertinere: &, quo gravior est causa, eo σπουδαιοτερως in illa sibi elaborandum esse sentiat. Quisquis igitur Rostra conscendis Concionator, προσεχε σεαυτῳ και τῃ διδαχῃ· id ipsum quod polliceris præsta: id effice ut fide dignus videaris; & judicii tui & sensus testimonia requiro manifesta: frustra verbis affectus sollicitas alienos, qui re ipsa interim dissimulas tuos: quin potius ita eloquere, ut te videam, qui vir sies; ut lumine de tuo mihi quoque pietatis lumen aliquod accendatur. Siquidem hoc effeceris, næ ego te inter oratores primum habebo, cum id, quod est Eloquentiæ palmarium, fueris assecutus.

Quid ergo isthoc est laudis quod in Ecclesiasta nostro desideratur? nihil sane arduum magnificumque, nihil acri ingenio excogitandum aut industria solerti elaborandum; sed simplex quiddam obviumque in promptu atque proclivi:

id

id ipſum, quod niſi obſtitiſſet conſuetudo prava, ſponte elicitum natura proferret, aptam pro re nata vocis geſtuſque modulationem, id ipſum quod volumus, juſtam pronuntiationem: non adeo Rhetoricæ præcepta, non exquiſitum dicendi artificium, ſed eam, quæ rei ſubjectæ ſemper ſubeſſe debet, intellectionem adæquatam, ſenſumque penitiorem exigimus, unde enaſcitur ille ſinceræ pietatis affectus, qui quidem, ubicunque ſe effuderit, hominum animis mire ſe inſinuat, ita ut facundiæ artificialis aut vis aut gratia neutiquam deſideretur.

Sic inſtructus & animatus in Roſtra nobis prodeat Eccleſiaſtes. Imprimis adeo materiæ, in qua verſatur, dignitatem eximiam perpendat: qualem vero illam? haud ſane vulgarem, imo nec humanam, ſed cœleſtem prorſus & divinam. Quonam igitur animo ad illius adminiſtrationem accedere oportet? non certe remiſſo & otioſo, ſed reverenter ſubmiſſo, ſed magnifice elato, & ad omnia erecto. — Neque interim dignitatis ſit prorſus immemor ſuæ: hanc recolens ipſe ſe revereri diſcat, nec admittat quidquam nomine honorifico indignum. An Dei ſe Miniſtrum & Legatum recognoſci cupit? caveat profecto ſibi ne in παραπρεσβειας crimen incidat, ne Pſeudopropheta Dei mandata aut ſimulando aut diſſimulando violet, ne aut autoritatem defugiat,

aut

aut fidem fallat; quin potius id agat ut materiem ornet commendetque ipſa adminiſtrationis ευπρεπεια, πληροφορειτω την διακονιαν, & in religionis Chriſtianæ cauſa perorans λαλειτω ως λογια θεϋ. — Poſtremo inſtitutionis ſacræ finem reſpiciat: qualem vero illum? non artis cujuſdam exercitationem ſterilem aut quæſtuoſam, non ingenii oſtentationem, ſed populi οικοδομην, ſed eruditionis Chriſtianæ & virtutum Evangelicarum incrementum. ποιμαινε τα προβατα μϋ. Hoc Chriſtus terris diſcedens ultimum & præcipuum Petro in mandatis dedit utpote curarum Paſtoralium ſummam. En, quod ſibi adhibeat Eccleſiaſtes, documentum, unum inſtar omnium, Gregi ſuo Paſtor pabula miniſtret idonea: atque adeo quibus modis commodiſſime id fieri poſſit diſpiciat ſedulo: quicquid demum habet facultatum id omne ad utilitates publicas referat, eadem opera & Charitatis erga ſuos & Pietatis erga Deum teſtimonium exhibens pulcherrimum. Hæc ſentire, hæc meditari Eccleſiaſten noſtrum volumus; hoc Caritatis, hoc Pietatis affectu penitus imbutum ad officia divina, ad ſacræ ſcripturæ ſive recitationem ſive explicationem accedere: interim modo ipſe ſibi non deſuerit, de artis Oratoriæ facultate minime laboramus.

Quin

Quin illam mecum, quæ præ cæteris omnibus maxime celebratur, *Demoſthenis* laudem recole: quid iſthoc erat facultatis oratoriæ, quæ Athenienſium etiam adverſantium animis dominabatur? nulla profecto verborum copia & ornatus admirabilis, nulli periodorum decurſus numeroſi, nulla aurium oblectamenta elaborata: imo vero Æſchines, aliique qui partium erant adverſarum, οἱ πρὸς χάριν δημηγορεντες, artibus hiſce plus valuiſſe videntur. Quid ergo? illa ſcilicet neſcio quæ δεινοτης, illa animi in utilitates publicas totum ſe effundentis vehementia, illa fortitudo inconcuſſa & in reipublicæ laborantis diſcrimine nervorum omnium contentio: hinc ille verborum ardor, & ſententiarum aculeata vis, auditorum ſenſibus atque judiciis penitus infixa: hinc illa perorantis autoritas, & præclarus adeo eloquentiæ triumphus.

Jam vero ita hoc Exemplum intueatur Eccleſiaſtes noſter, ut aliquid ex eo eliciat documentum à re haud alienum ſua. Non ſane illi δεινοτητα hanc *Demoſthenicam* tribuimus, non in illo parem ingenii vim, aut dicendi artificium requirimus: at parem animi integritatem fidemque, parem in religionis Chriſtianæ cauſa aſſerenda fortitudinem & conſtantiam, &, qui facultatum omnium nervos intendit, genuinum illum *zelum* Evangelicum poſtulamus. Quod ſi, quo

animo

animo orator *Athenienſis* ad rempublicam ſuam defendendam acceſſit, eodem ille noſter ad rem Chriſtianam adminiſtrandam accingeretur, re ipſa profecto intelligeret dicendi facultatem idoneam ſibi neutiquam deeſſe, & facundiam laude ſua fructuque non deſtitui.

Quin & aliud porro vide Oratorum genus plane diverſum, & quidem novum & ſingulare, Pſeudapoſtolos, neſcio quos, errabandos, & concionatores circumforaneos, homines neque rerum uſu peritos, neque literatos, neque ingenuos & liberales, verum importuna dicendi exercitatione & pervicacia ſedulitatis mira quædam & auſos & aſſecutos. Utcunque enim verborum copia omnis & volubilitas ſine re ſubjecta inanis ſit & inepta, at ad rudis populi aures deliniendas utplurimum valet: hoc ipſum oratores iſti experiundo intelligunt; atque adeo ad famam & quæſtum hac potiſſimum graſſantur via. E roſtris, tanquam θεοπνευσαι, quicquid in buccam venerit fidenter effutiunt: ſcilicet in vociferatione tanta nihil facundiæ deſideratur; imo vero eloquentiæ laudem invadit ipſa dicentis arrogantia: Plebs interim inhians admiratur, applaudit; neque quidquam aut fruſtra conceptum aut temere dictum putat, quod tam emphatice prolatum cum tanta laterum contentione oculis auribuſque ſuis obtrudi ſentit.

Quinetiam, ne verbis deſit fides, artificium inſuper aliud adhibetur, ille Sanctimoniæ pluſquam Phariſaicæ prætextus. Unde autem hæc virtutum omnium ad ipſos hæreditas tam ſubito devenerit haud plane ſcio, niſi ex eo forſan, quod invidi obtrectatores, quantum de laudibus alienis detraxerint, tantum addiderint ſuis. Ut ut vero hæc fuerint, hæc ipſa Pietatis exiſtimatio quidlibet perorantibus reverentiam quandam & auctoritatem conciliat. Ecquid adeo excidit ridiculum, inſulſum, aut ineptum?— at lepide — at placendi ſtudio — at certe bono animo dictum. — Ecquid porro falſum, impiumve? — at quis reprehendere auſit, quod a ſanctitate tanta ſit profectum?

Quorſum vero hæc a me dicta ſpectant? non ſane ut abnormem hanc hypocritarum aut fanaticorum eloquentiam commendem: ſed ut Eccleſiaſtes noſter intelligat quid induſtria & labor improbus efficere poſſit, — & quantum curæ in hac pronuntiandi arte ſibi ſit impendendum, ut, quos ingenio & dignitate antecellit, ab iiſdem officiorum ſedulitate & dicendi artificio neutiquam ſuperetur; ut intelligat denique qualis ad fidem dictis faciendam in oratore pietatis genuinæ affectus exigatur, cum ad perſuadendum tantam vim habeat illius externa ſpecies & ſimulatio. Non equidem ignoro quam difficile

difficile ſit de Pronuntiationis juſtæ legibus aliquid certi in univerſum ſtatuere: cum tam diverſa ſint hominum ſingulorum, perinde ac populorum, ingenia, mores, inſtituta, linguarum accentus, auriumque judicia.

Verum enimvero cum Oratio omnis (de ſacra præſertim loquor) vel ad docendum vel ad perſuadendum ſit comparata, habet Eccleſiaſtes noſter, quem potiſſimum reſpiciat, Finem: atque adeo, dum reputat quanta ſit in utramque partem pronuntiationis vis, tum ut pulcherrima quæque dehoneſtentur, tum ut etiam vilia commendentur, diligenter & caute inſtrumento hoc ancipiti utetur; nec per incuriam vel abuſum adminiſtrationes patietur ſibi intercidere irritas, fructuque ſuo & efficacia deſtitutas.

Hui vero, inquies, qualem demum nobis finges Eccleſiaſten? an vero Oratorem? — imo ſane: at neque Scenicum, neque Fanaticum, neque vero perfectum illum *Ciceronianum*: ſed Oratorem Chriſtianum, ſed eum, qui Legati fidelis & Interpretis probi partes tueatur, qui in adminiſtrationibus ſacris omnia pronuntiet diſtincte, graviter, apte: diſtincte, ut ſingula auribus percipi poſſint, — graviter, ut pro rei dignitate audientium animis reverentiæ ſenſus aliquis ingeneretur, —— apte, ut pro materiæ ſubjectæ varietate geſtus vociſque debita confor-

matio adhibeatur; ex quibus id efficitur quod volumus: nempe tantum eloquentiæ, quantum ſimplicitati Evangelicæ conveniat, & ad hominis Chriſtiani οἰκοδομὴν conducat. Cætera vero artis Oratoriæ ſubſidia vel ornamenta omnia Scenicis vel Forenſibus varie adminiſtranda relinquimus.

Quid igitur de hac recte pronuntiandi facultate ſtatuendum reſtat? en illam in medio poſitam, & facile parabilem! Nequis vero illam omnibus ita innatam eſſe cenſeat, ut ſine Artis præceptionibus & exercitatione aliqua etiam oſcitantibus ſit acquirenda: imo vero caveat potius ne hac in parte ſibi ultro fraudem faciat, ne hæc ipſa facilitatis opinio difficultatem pariat inopinatam, ita ut, quam aſſequi poſſe deſperat, laudem aliquando ſequi deſinat. Quis neſcit ea plerumque neglecta & penitus inculta jacere, quæ uniuſcujuſque arbitrio & libidini permittuntur? Fruſtra facultatis alicujus fructus ſponte enaſci poſtulas: accedat oportet aliqua diſciplinæ cultura: hanc qui neglexerit, ipſum naturæ patrimonium ſibi perdi ſentiet, &, queis recte uti noluit, ingenii vires enervari.

Interim jure mirari ſubit quod inter tot Theologiæ Candidatos tam pauci in pronuntiatione rite moderanda, ſive in veræ eloquentiæ ſtudio verſentur. Quid autem iſthoc eſt difficultatis

tatis & impedimenti? nihil certe e rebus ipſis proveniens; ſed quod ipſi ſibi accerſunt: malum quidem video duplex, tum ex hac tum illa parte obſtare, ſcilicet hinc Deſuetudinem, illinc Conſuetudinem pravam; per alteram facultas debilitatur & fere extinguitur: per alteram vero corrumpitur, & in pejus deflectitur; ita ut difficile ſit oratori futuro an non plura dediſcenda ſint quam diſcenda.

Quis non igitur videt hac in parte Diſciplinam quandam deſiderari tum domeſticam tum etiam publicam? Inter enim ingenuos, qui vocantur, et liberales pleroſque paſſim audias vel pippientes, vel gannientes, vel aliquo modo blaterantes, et quidem impune. Muſicæ quidem veteris, vociſque ad certos canonas modulandæ jamdiu ſtudium exolevit. Jam a pueritia uſque elocutionis corruptæ vitia inopinantibus obrepunt, & in adultis inveteraſcit cacoethes intractabile, ita ut deinceps ægre formetur illa vocis juſta flexio quæ rei ſubjectæ reſpondeat, et, quæ putarant obvia & in promptu, eadem experiundo ſentiant difficillima: itaque ergo inter Theologos tam pauci reperiuntur, qui veram Eloquentiæ laudem ſunt conſecuti.

Maxime vellem ut quæ Eccleſiæ fuerit damno & hominibus Eccleſiaſticis opprobrio atque dedecori, ea non tam verbis quam re ipſa refelli poſſent!

poſſent! Atque adeo nihil video prius potiuſve optandum, quam ut Eccleſiaſtes noſter, antequam in Roſtra proſiliat, inſtitutione aliqua Oratoria ſit imbutus, & in dicendi exercitatione multiplici verſatus.

Jam vero Inſtitutio hujuſmodi ubinam potius celebrari debet quam in iis Literarum ſedibus, quibus, pro more, quicquid eſt honeſtum & laudabile, & bona demum omnia votis precibuſque tribuimus? ubinam Theologiæ ſtudia florere potius quam in his Phophetarum Scholis? ubinam demum ingenii & Eloquentiæ laus eminere potius quam in Athenis? Hinc Eccleſiaſtes futurus ingenii morumque culturam, hinc dicendi præcepta depromat & exempla.

Utinam profecto, Academici, neque hæc neque illa vobis unquam deſint. — Liceat tamen mihi interim, pauca quædam quæ ad hanc rem faciunt, vobis diſquirenda & conſtituenda proponere. — Intelligitis profecto quantum in omni re valeat liberalis inſtitutio & diſciplina; cum in his unice το αξιωμα Academiæ contineri videatis. Intelligitis porro ad adminiſtrationes Eccleſiaſticas rite obeundas quantum valeat illa, quam commendamus, recte *pronuntiandi facultas?* Quid igitur? nonne ex hoc ipſo intelligitis inſtitutionem quandam ſpecialem hac in parte adhiberi, & pro rei dignitate curam quandam idoneam

idoneam impendi oportere? at videte interim quantillum profeceritis: qualis enim apud vos celebratur hujuſmodi diſciplina domeſtica, vel publica? qualis præceptio? qualis dicendi exercitatio? qualis demum æmulatio? At reponi forte poteſt; "Nonnihil eſt in hac parte effectum: "Adoleſcentes enim nobis identidem in Roſtra "prodeunt—Declamationes & Oratiunculæ— "& interdum porro *Sacræ Scripturæ* recitationes "publicæ, & quotidie in Eccleſiis pro more ce- "lebratur Liturgia." — Itane vero? quid igitur? ſatin' hæc putatis ad Eloquentiæ laudem, et Eccleſiaſtæ futuri conſtitutionem? πολλου γε και δει· imo vero permultum quiddam amplius deſiderari ſentio. Quid enim illa, quæ in genere diverſo auribus plerunque occurſant, elocutionis vitia commemorem? quid ſibi vult illa vocis ſive compreſſæ muſſitatio, ſive properantis ſubſultans trepidatio, quidvis potius, quam eam, quæ cum vehementia efferri ſolet & debet, Declamationem exhibens? Ut vero miſſa faciam, quæ ad Oratorem Eccleſiaſticum non pertinent, videte potius qualis illa eſt, quæ jactatur paſſim, S. S. recitatio ſpecioſa. Ecquid autem in hac parte efficitur laudabile & præclarum? at vero ea plerumque eſt Recitatorum incuria & negligentia, ut ne affectent quidem. Crederes potius Evangeliſtam noſtrum Evangelii ſui pudere,

cujus

cujus dignitatem adeo non tuetur & commendat, ut etiam imminuat dedecoretque; dum momenti graviſſimi dogmata, in quibus enarrandis facundia nemini deeſſe debet, tam gelide atque hæſitanter & otioſe proponit. Crederes porro *Paulum* diſputantem cauſæ ſuæ diffidere, & argumentationem illi in medio curſu ſubſidere prorſus & languere, nervis omnibus deſtitutam & ſine aculeis inermem.

Quid de Liturgiæ adminiſtratione quotidiana dicam? vereor ſane ne, quod vulgo dici ſolet, hac præſertim in re, ipſa familiaritas contemptum pariat. Quotuſquiſque enim ex hoc opere, quod præ cæteris præcipuum habere debet, aliquam eloquentiæ laudem quærit? Tædet orationis quotidianæ, & cum varietatis & novitatis gratia ſtudium ſimul & æmulatio conſeneſcit. Inde adeo ſine aliquo pietatis affectu plerumque peragitur recitatio: rara eſt pronuntiationis rite moderandæ cura: pudor ille malus obſtat: ſatis eſt culpam vitare poſſe: laudem vero mereri velle, id demum ambitionis aut arrogantiæ loco habetur: atque adeo quicquid eſt facundiæ, quod ſentio quam ſit exiguum, id omne præſtat vocis aut præcipitatæ decurſus inæqualis, aut temperatæ æquabilitas otioſa, aureſque delaſſans monotonia.

Hæc

Hæc a me dicta ita intelligite ως επι το πολυ, non ut ſine diſcrimine ad omnino omnes pertinere putem. Liceat interim hoc noſtræ quicquid eſt querelæ ſive reprehenſionis iterare. "Scilicet deſiderari Diſciplinam aliquam ſpecia-"lem, quæ ad adminiſtrationes eccleſiaſticas, "quæ ſentio quam latiſſime pateant, cum laude "ſua ſimul & audientium emolumento obeun-"das, Eccleſiaſten futurum dicendi arte multi-"plici inſtructiorem præſtet." — Qualem vero illam inſtitui velim? non aliam profecto, quam quæ rei ipſius dignitati eximiæ debetur, quæ ſaltem efficiat ut (non dicam ornate ſed) apte, diſtincte, graviter ſacra pronuntiet. Non ſane arduum quiddam et perdifficile poſtulo; ſed id ipſum, quod nullo fere negotio quivis conſequi ſe poſſe ſperat; quanquam, uti jam vidimus, non alia in re magis quam in hac ab oratoribus noſtris fuerit peccatum. Statuimus adeo exercitationem hac in parte ſedulam & frequentem adhiberi oportere, in genere diverſo, prout res exigit, tam publice quam privatim dicendi exercitationem. Hæc enim illud ipſum eſt quod ad animi corporiſque vires confirmandas plurimum confert: exercitatione crebra expeditur linguæ volubilitas: elocutionis habitus pravi emendantur, inſeruntur boni. Hoc autem in ſtudio nequis deſperet, memorabile illud Oratoris

Attici exemplum admonet. Profecto tam pronuntiandi quam ſcribendi artifex & magiſtra eſt exercitatio; hac in palæſtra verſetur Eccleſiaſtes futurus; hic quicquid habet facultatum fidenter expromat, vocis ingeniique vires animoſe periclitetur: aurium *Atticarum* judicio ſe ſuaque pudenter permittat, ut ſiquid fuerit vitii, corrigatur; ſiquid laudabile, ut in melius dirigatur; omni demum opera contendat, ut hiſce proluſionibus præparatus & crebro inſtrumentorum uſu peritus aliquando e vita umbratili in ſolem & celebritatem prodeat προς παν εργον αγαθον εξηρτημενος.

Hæc in genere dicta ſunto. Quid autem ſpeciatim de *S.S.* recitatione juſta dicam? quantam hac in parte præ cæteris curam impendi oportere? Pudeat profecto quempiam ad hæc ſacra rudem prorſus & αμυητον accedere, & quæ ſenſibus admirationem, animis reverentiam incutere debent, ea, tanquam levia quædam & inepta, temere & negligenter percurrere. Quin potius Recitator noſter, pro materiæ, in qua verſatur, dignitate ſingulari προπαρασκευην debitam adhibeat: diſcalceatus in ſolo ſacroſancto incedat, priuſquam recitationem publicam aggrediatur. Præcedat oportet ſevera quædam meditatio domeſtica, reique ſubjectæ intelligentia penitior; ita inſtructus & animatus in Roſtra prodeat,

prodeat, ex animo percepta libere proloquatur: neutiquam ſane illi eloquentiæ laudem defore confido. Imo vero Theologo futuro hanc ipſam præparationem magno uſui fore reor, cum & inſtrumenta & ſupellectilem theologicam tam uberem ſuppeditaverit.

Præterea juſtæ pronuntiationi ſubſerviens adhibeatur memoriæ exercitatio: itaque Eccleſiaſtes noſter *S.S.* loca quædam inſigniora in promptu habeat, &, prout res tulerit, tanquam memoriter enuntiata proferat; unde dictis uberior gratia atque auctoritas accedet. Qui memoriter aliquid pronuntiat, hoc commodi habet ut eloquentiæ inſtrumentis omnibus, voce, manu, oculiſque liberius uti poſſit, atque adeo ſententiis quibuſcunque emphaſin addere propriam, & geſtus inſuper decori ſignificatione ſingula commendare. Oratorum quidem & Poetarum elegantiores ſententias multorum memoria teneri & cum laude quadam decantari video: quidni itidem *S.S.* χυρίαν δόξαν hominum memoriæ pari ſtudio inſerantur; præſertim cum in his ſingulare & quiddam præclarius eluceat, nempe conceptuum fulgor atque pondus, & non ſine varietatis gratia ubertas, imo & pluſquam poetica humanoque major ingenio ſublimitas?

Jam demum de *Liturgiæ* pronuntiatione juſta pauca quædam dicenda reſtant. Et hîc profecto

materiam video ſatis uberem magnificamque, in qua rite excolenda & ornanda quicquid eſt oratoriæ facultatis præclare adhiberi poteſt & debet. Atque utinam ſane hac potiſſimum in parte Eccleſiaſtes noſter ſtudium collocaret ſuum, veramque eloquentiæ laudem quæreret, non tam ex ingenii ſui operibus aut concionibus ad populi plauſus captandos comparatis quam ex officiorum rite ordinata adminiſtratione petitam: ut cerni poſſet quantum Eccleſiæ eloquentia publica cuivis privatæ antecellat, & genuinæ pietatis oratio præſcripta oratoris cujuſcunque ambitioſi vaniloquentiæ ſit anteponenda.

Orationes quidem publicas inſtitui, perorantibus præmia proponi, artiſque adeo Oratoriæ ſtudia vigere gratulabundus intelligo: cum ex inſtitutionibus hujuſmodi, quibus adoleſcentium æmulatio excitatur, non exiguus ad Academiam fructus redundaverit. Utinam profecto itidem Oratoribus Eccleſiaſticis noſtris æmulatio incitamentis quibuſdam ſimiliter adhibitis accendi poſſet; ita ut, qui in omni parte officia optime adminiſtraverint, præmiis quibuſdam aut honorifico aliquo teſtimonio inſignirentur; qui vero per negligentiam ſecus fecerint iis aliqua infamiæ nota inureretur; cum rerum ſacrarum contemptione nihil ſit deteſtabilius. — Utut vero hæc fuerint, illud interim optare liceat ut, quiſquis

Ordinum

Ordinum ſacrorum Candidatum ſe ſiſtat, hac in parte probe exercitatus & exploratus accedat: neque ab Epiſcopis ad Sacerdotium admittatur quiſpiam, niſi qui ſaltem legit ut Clericus, ita ut adminiſtrationibus, in quibus verſatur, ſacris & decenter & ad populi οἰκοδομην perfungi poſſit: repellatur vero inidoneus quiſque uſque dum in hoc recte pronuntiandi ſtudio, quantum ad rem ſatis eſt, profecerit. Ex diſciplina hac ſalubri fructus non exiguos ad Academiam derivari poſſe video. Theologiæ ſtudioſi & Eccleſiaſtæ futuri, hoc documento admoniti, his ſtimulis excitati, ad eloquentiæ Eccleſiaſticæ ſtudium ſedulo ſe conferent: ingenii vires, quas libido vana diſſipat, aut deſuetudo hebetat, evocabit acuetque neceſſitas: excutietur ille pravus pudor, qui dicendi facultatem debilitat obruitque, & illa demum, quæ in rerum ſacrarum opprobrium crebro objicitur, ſacrificulorum ſive faſtidioſa levitas ſive ſuperba quædam negligentia: ita denique Liturgicis adminiſtrationibus quibuſcunque ſua conſtabit reverentia, dignitas, atque gratia.

Verum inſuper & hac etiam in parte *memoriæ* exercitationem ſedulam adhiberi velim. Mirum eſt ad affectus movendos orationis extemporaneæ ſpecies ipſa quantam vim habeat: quod quidem in ineptis illis Concionatoribus circumforaneis

foraneis cernitur, quibus adeſt alia commendatio plane nulla.

Paulum intereſſe cenſes ex animo omnia
Ut fert natura, facias, an de induſtria?

Quicquid ſponte pro re nata aut ex meditatione diſſimulata profluere videtur, id plerumque audientibus admirationem parit plauſumque. Quamobrem Eccleſiaſten noſtrum in hoc dicendi artificio prorſus rudem eſſe nollem: nollem ſane, ut vultu immoto oculoque irretorto ſemper hæreat defixus; imo vero hæc ſervitutis vincula & elocutionis liberæ impedimenta prorſus amovenda cenſeo: vellem potius ita animo imperet ſuo ut Liturgiæ particulas quaſdam eximias memoriter perceptas in promptu habeat, prout res tulerit, publice pronuntiandas; ita ut non tam ex præſcripto, quam ex animo & motu quodam ſpontaneo, perorare videatur: hinc elocutioni vis accedit acrior, & varietas emphatica: hominumque oculis atque auribus gratior & πθανωπερη oratio ſe inſinuat. — Et hujus quidem rei ipſi exemplum vidimus; hominem vidimus aliquando timidum & verecundum, facultatibus diffidentem ſuis, gelide & hæſitanter, vultu ſimul & voce ſubmiſſa, e ſcriptis neſcio quid muſſitantem: eundem deinde vidimus, cum res coegerit, ſine ſcriptorum ſubſidio, ſui ingenii opibus unice fretum, ore erecto, voce elata, geſ-

tuque

tuque liberali in hominum celebritate ampliſſima cum laude ſumma animoſe perorantem. Uſque adeo valet ad facultatem oratoriam excitandam & ſuſtinendam hæc memoriæ excitatio, & cum neceſſitate conjuncta fiducia.

Quæ jam diximus etiam ad Eccleſiaſtæ noſtri *concionantis* officia pari jure pertinere ſentio: ſed ne hac de re plura a me commemorentur, efficit illa, quam Appendicis hujuſce comitem ſubnexi-mus, Epiſcopi Roffenſis ad Clerum Paræneſis admiranda, quæ quidem Eccleſiaſtæ in hac parte officia & plenius præcepta & luculentius deſcripta exhibet, quam oratio mea.

Tu interim, Lector, aliquando Eccleſiaſtes futurus, hac a me ad rem tuam bono animo dicta benignus accipe. Quæ in inſtitutionibus Academicis deſiderari viderim, ea diſſimulare nefas putavi; cum nihil laudabile illic deeſſe vellem, ubi cupio omnia eſſe perfectiſſima: &, quæ porro tibi documento & aliquatenus uſui fore crediderim, ea libere ſubmonui —

——*ſiquid noviſti rectius iſtis,*
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.

Quæ de pronuntiatione juſta ſive recitatione S.S. in Poemate quodam præcepta ſunt aut deſcripta, pauca quædam libet hic aſcribere.*

— Talis eras, *Iſaia* — ſed ô! tua ſcripta legenti
Quis Seraphus adeſt, admoto cæli us igne
Inſpirans animos, purgataque labra reſolvens?
Ne meus hac peccet deceptus parte Sacerdos
Prava ſequens exempla, Deoque indigna loquatur,
Vel cunctanter humi ſerpens, vel inania captans
Nubila: grandiloqui ſed mentem animumque Prophetæ
Arripiat transfuſum, & ſenſibus hauriat imis
Pectoris interiora petens, & ſe quoque fingat
Afflatum propiore Deo — ſic denique juſſam
Dicta fidem faciunt, & habet facundia laudem.
Ah ne magniloquæ violetur gloria linguæ,
Nec ſibi diſſimilis, dum perditur ore Legentis,
Languida fraudatam ſententia deſerat aurem!
O tua vivida vis atque entheus excitet ardor
Dictantem tua verba, & te tibi reddat! &c.
Sic meus Orator dicendi quærat honorem:
Non ut Rhetorica ſpectabilis arte Theatris
Invideat, magnoque leves cum pondere nugas
Proferat in ſcenam, populumque oblectet hiantem,
Voce manuque loquax, & plauſum captet inanem:
Verum ut id omne Deo ſubmittat, quicquid et artis
Jactat & ingenii, divinaque verba decoro
Conſcius ore ſonet, ſecernens ſacra profanis,
Majoreſque animos attollat, et imperet auri. —
Quiſquis es, hæc recitans, ades ô! mihi ſæpe monendus:
Ipſum Te reverere, Deum reverere loquentem
Ore tuo — tibi quis meditanti talia ſenſus?
Nonne ardent tibi corda pio ſuffuſa calore
Præſentem confeſſa Deum? Quid? Lingua recepti
Interpres ſenſus, quo more modoque regenda,
Nunc ſtimulos nunc fræna vocans, ut conſona voci
Reſpondens avidam ſententia repleat aurem?
Ut neque vis, nec honos dictis neque gratia deſit?

* *Sacerd. Paræc. Ruſt.*

HELI: sive Exemplum Magistratus intempestiva Lenitate peccantis.

CONCIO

HABITA IN

TEMPLO B. *MARIÆ*,

CORAM

ARTIUM BACCALAUREIS

DETERMINANTIBUS

DIE CINERUM FEB. 10. 1725.

A JOHANNE BURTON A.M.
C.C.C. Soc. Proc. Jun. Dep. & Mag. Schol.

EDITIO SECUNDA.

OXONIÆ,
E THEATRO SHELDONIANO.
MDCCLXI.

HELI: Pro Examinum Magistratus
Interpellatio Lenitate peccantis.

CONCIO

HABITA IN

TEMPLO B. MARIÆ,

CORAM

ARTIUM BACCALAUREIS

DETERMINANTIBUS

Die Cinerum Feb. 10. 1725.

A JOHANNE BURTON, A.M.

C.C.C. Soc. Proc. Jun. Dep. & Mag. Schol.

EDITIO SECUNDA.

OXONIÆ,

E THEATRO SHELDONIANO.

MDCCXXI.

ACADEMIÆ *OXONIENSIS*

VICE-CANCELLARIO,

PROCURATORIBUS,

COLLEGIORUM ET AULARUM

PRÆFECTIS,

ET IIS DEMUM OMNIBUS,
QUIBUSCUNQUE ACTIONUM ALIENARUM
DIRIGENDARUM CURA MANDATUR,
CONCIONEM HANCCE,
EO ANIMO CONSCRIPTAM EDITAMQUE,
UT DISCIPLINÆ SALUBRIS
ADMINISTRATIONEM,
IN QUA UNICE CONTINETUR
ACADEMIÆ FORTUNA DIGNITASQUE,
STRENUE EXERCENDAM
ET VINDICANDAM COMMENDARET,
CUM FELICITATIS OMNIGENÆ VOTO,
DEDICAT

UTILITATIS PUBLICÆ STUDIOSUS

JOHANNES BURTON.

ACADEMIÆ OXONIENSIS

VICE-CANCELLARIO,

PROCURATORIBUS,

COLLEGIORUM ET AULARUM

PRÆFECTIS,

Et Iis DEUM OMNIBUS,

Quibuscunque ACTIONUM ALIENARUM

DIRIGENDARUM CURA MANDATA,

Concionem hanc,

Eo ANIMO CONSCRIPTAM EDITAMQUE,

Ut Disciplinæ SALUBRIS

ADMINISTRATIONEM,

In QUA UNICE CONTINETUR

ACADEMIÆ FORTUNA DIGNITASQUE,

STUDIUS EXERCENDAM

Et VINDICANDAM COMMENDARET,

Cum FELICITATIS OMNIUM VOTO,

DEDICAT

UTILITATIS PUBLICÆ STUDIOSUS

JOHANNES BURTON.

LECTORI S.

EXEMPLUM vides Magiſtratûs intempeſtiva Lenitate peccantis; cujus crimen quale quantumque fuerit ut melius intelligi poſſet, Hiſtoriæ ordinem ſecutus Subditorum impune peccantium cauſam præmittendam eſſe duxi.

En vero Argumentum à re quidem tua non alienum, ſive perſonam geras publicam, ſive privatam, ſive tibi ſit Auctoritas exercenda, ſive Obſequium præſtandum. Vides Illius conditionem ſollicitam plane ancipitemque; Imperium quidem vides & dignitatem, ſed cum labore, ſed cum periculo conjunctam. Non eſt in Illo tolerandum, quod in homine Privato minus reprehenderes. Ecce enim graviſſimum Dei vindicis judicium! Paternæ Benignitatis error fit Perfidiæ crimen: & ad corruptum Judicem, quam filiis delinquentibus infligere noluit, transfertur pœna. Subditos interim eo animo hoc documentum intueri oportet, ut illam revereri diſcant Auctoritatem, cujus cenſuras intellexerint à Magiſtratu impune remitti non poſſe.

Scri-

Scribentis porro consilium quæris? Scias concionem hanc fuisse paucis abhinc annis habitam, quo quidem tempore Magistratus Academici ad Disciplinam rite asserendam studio auspicatiori conspirârunt. Non enim erat dissimulandum indigne agere Almæ Matris Filios, *ingenii, quæcunque fuerit, solertia ita male usos, ut ignavia subsidia, non æmulationis laudem quærerent, institutionum utilissimarum vim eluderent; ita ut Exercitiorum Publicorum merita, atque ipsa adeo Graduum Academicorum dignitas imminueretur. Illos interim, quorum intererat omnia in commune bonum consulere, quo tandem animo hæc observare oportuit? eo nimirum, quem muneris ratio postulavit, ut, quæ* noverint indigne facta, *ea sedulo* corriperent.

Quamobrem occasionem mihi haud incommode esse oblatam arbitrabar de Magistratûs Officio differendi: quod quidem eo consilio feci, ut, siquid in administrationum decursu severius statutum videretur, id Academica juventus æquiori animo ferret, cum ad id ipsum exigendum senserit Magistratum ipso Officii vinculo teneri: nec posse sibi Judicis Benigni nomen, nisi per fidei publicæ violationem, conciliare.

Hæc vero ad Magistratum, tum Ecclesiasticum, tum Civilem, pari jure transferri possunt, quæ à me quidem ad Academicum præcipue referuntur.

Et

Et ea ſane eſt temporum iniquiſſimorum conditio quæ curam propiorem Illius efflagitat, qui, Θεὸς διάκονος, οὐκ εἰκῇ φορᾷ τὴν μάχαιραν. *Ita enim ſe prorſus* Cives *eſſe meminerunt plerique, ut non meminerint eſſe ſe* Chriſtianos: *in Licentiam abiit Libertas: impune bellum indixit Religioni Infidelitas, Bonis Moribus Audacia. Quænam itaque dignior afferri poterit oratio, quam illa, quæ Dei, cujus vices gerit, terrores admovens, Magiſtratui ejecerit timiditatem, incuſſerit ſollicitudinem, extimulaverit ſeveritatem? ita ut, cum debuerit proſpicere nequid ulla in re detrimenti capiat Res publica, Religionis ſaltem violatæ tutelam à ſe non alienam eſſe duxerit.*

Sentio equidem in materiem me incidiſſe quæ in utramque partem Scribentium varie exercuit ingenia; video enim prodiiſſe Libertatis inſanæ eos Patronos, qui Modeſtiæ pariter ac Religionis ſenſum exuiſſe videntur: qui, ut hujuſmodi in cauſis quidlibet audendi ſibi libidinem impunitam confirment, non dubitant Magiſtratui Gladium è manibus extorquere, et de Auctoritate inermi et contempta triumphare. —— Pudet ſane potuiſſe unquam in Civitate Chriſtiana hujuſmodi controverſiam moveri. Verum, quod bene vortat, hac in parte Religionis Is extitit vindex auſpicatiſſimus, qui nihil non præclare ſcripſit, Stylo pariter & Cauſa melior, vir deſideratiſſimus Johannes Rogers; *qui*

qui Magiſtratûs, tum Eccleſiaſtici, tum Civili, jura ita feliciter aſſeruit, ut utriuſque gratiam cumulatiſſimè demeruerit: nuperrime, cum ſingulari Patronorum pariter ac ſua laude, in celebritatem evocatus, in ipſo honorum aditu, famæque creſcentis flore, magnas bonorum omnium ſpes, quas ſola potuit, morte præreptus luctuoſa fefellit. Facile veniam dabis quod tanti viri flebile ſemper et honorandum nomen libentius commemoraverim: cum illius ingenii ad rempublicam redundârit fructus, ad eandem quoque pertinet mortis dolor. Illius interea ita Tu exemplum ſequere, ut aliquando minus deſiderari poſſit.

1 Reg. III. 12, 13.

In die illa ſuſcitabo adverſum Heli omnia, quæ locutus ſum ſuper domum ejus, incipiam & complebo.

Prædixi enim ei, quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem; eo quod noverat indigne agere Filios ſuos, & non corripuerit illos.

"IN Eccleſia olim Primæva extitit diſcipli-
"næ ſaluberrimæ exemplum: & vidit
"aliquando ſolennis hicce dies pœniten-
"tiæ ſeverioris officia criminum gravio-
"rum reis, Populo inſpectante, publice ſub-
"eunda: Eo nimirum conſilio; ut corporis
"ſupplicio animæ confirmaretur ſalus, præſens
"pœna amoliretur futuram; cæterique porro
"inſigni hoc documento admoniti, quorum fata
"perhorreſcunt, eorum facinora imitari vere-
"rentur."

Vocibus hiſce graviſſimis ſanctiſſima Mater Eccleſia hodiernæ diei celebritatem flebilem juxta ac religioſam nobis commendat; —— ſed ita, ut dum temporum Primævorum pietatem laudat, Suorum interea iniquitatem tacite reprehendat.

Quonam vero Eccleſiæ fato contigiſſe dicam, quòd ab ipſis etiam Fautoribus aliquid detrimenti acceperit? dum cum poteſtate civili ita infeliciter coaluerit, ut, unde adjuvari & præmuniri videbatur, inde neſcio quomodo præter ſpem impediri ſe, & quodammodo debilitari ſenſerit, ita ut quanto magis ſibi privilegia civilia amplificarentur, & externæ dignitati uberiora accederent ornamenta, tanto magis diſciplinæ ſpiritualis ſuccciderentur nervi, & ſtabilitatis ſuæ labefactarentur præſidia?

Fuerit ſane illi præcipua laus, quod ad Diſciplinæ Apoſtolicæ normam propius accedere voluerit; quod vero non potuerit, fuerit iſthoc Reipublicæ communi damno pariter & opprobrio.

Maxime vellem, ut hæc noſtra Religionis & Literarum ſedes, in qua ſaniorem diſciplinam omnem effloreſcere precamur, nullam in hac parte præberet querelæ, aut reprehenſionis cauſam! Eccleſia noſtra, quæ praxin primævam renovari cupit, illud ſaltem eſſe nobis optandum

ſubmo-

ſubmonet, ut cultu magis religioſo obſervaretur hodierna dies, & inſigni quodam Pietatis exemplo Quadrageſimale tempus omne præiret: ita ut nullas jam amplius viderit Chriſtianus Hoſpes per diem protervæ Juventutis curſitationes ſtrepituſque; nullos per noctem tumultus & comeſſationes, & turbulenta quædam feſtivitatis gaudia; ſed tranquilla potius afflictæ Sanctitatis officia, & taciturnam pœnitentiæ ſolennis triſtitiam celebrari.

Utcunque vero ad Primævæ puritatis exemplum omnia revocari non patiatur Temporum iniquitas: at illa ſaltem, quæ auctoritate legum ſubſtituta manet, (quam ſentio quàm ſit exigua) quantum fieri poteſt, inviolata ſervari debet Diſciplina. Si corruptelæ omnes in melius refingi non poſſint, at ne indies increbreſcant, ne in deterius uſque collabantur omnia, id ſedulo providere eorum maxime intereſt, penes quoſcunque ſumma rerum adminiſtrandarum poſita eſt Auctoritas.

Memorabile iſthoc exemplum, quod illuſtrandum ſuſcepi, abunde admonet, ne officio ſuo deſint; ſed potius Dei Vindicis iram pertimeſcant, qui non fruſtra civili gladio Magiſtratuum obarmavit manus; qui aliena etiam crimina, quæ, cum potuerint, reprimere neglexe-

rint, Ipſis aliquando in culpam pœnamque imputabit.

Audite Deum de Sacerdote ſummo ſic loquentem: *Prædixi ei, quod judicaturus eſſem domum ejus in æternum propter iniquitatem, et quod noverat indigne agere Filios ſuos & non corripuerit illos.*

Singulare prorſus judicii divini exemplar! Reipublicæ ſimul & Eccleſiæ *Iſraeliticæ* Princeps Vir, propenſa erga Deum pietate, incorrupta morum probitate, virtutibuſque, quæ in homine privato ut plurimum eſſent laudandæ, abunde clarus, divinam imprudens provocavit iram, miti ingenio abuſus, & nimia peccans lenitate. Illa animi temperies, quæ privatam ornaret vitam, publicam ſuſtinenti Perſonam in crimen tranſivit. —— *Judicabo, inquit Deus, Domum ejus in æternum propter iniquitatem.* — En magnitudinem pœnæ, Familiæ totius excidium! pœnæ Cauſam, & peccati Atrocitatem perpendite. *Eo quod noverat indigne agere Filios ſuos, et non corripuerit illos.* Qui ſupremi Magiſtratûs Civilis, qui Parentis, qui Sacerdotis ſummi Perſonam ſuſtinuit, Subditorum, Filiorum, et quidem Sacerdotum, nefariam libidinem non corripuit.

Si quod verò unquam extiterit impietatis immaniſſimæ exemplum, quod aut Parentis indignationem,

dignationem, aut Sacerdotis cenſuram, aut Ma-giſtratûs vindictam laceſſere & excitare debuit, illud profecto à Filiis ſuis perditiſſimis viderat cumulatiſſime perpetratum. Quodnam enim nequitiæ genus, quod in homine Clerico eſſet maxime deteſtandum, Ipſorum vitam non inquinavit? In victu intolerabilis luxuria, non niſi per violentiam & injurias alenda; in moribus effrænis licentia; cum mulieribus conſuetudines nefandæ, impuritaſque nec reclamantis Populi, nec Dei præſentis conſpectum reverita: In munere Sacerdotali exequendo rerum ſacrarum aut turpis incuria, aut ſacrilega violatio: ita ut profanos Sacerdotum mores publica ſecuta ſit impietas, inceperitque indignans Populus Dei ipſius cultum averſari, quem fœdiſſimo Ipſorum miniſterio impune pollui videret.

Cuinam iſthæc aut videnti aut audienti non illico exardeſceret animus, tantique ſceleris atrocitatem ſupplicio acerbiſſimo coercendam eſſe duceret? —— Sed benignus ille ſenex, qui viderat permulta, audierat plura, qui vindictæ Divinæ terrores non ita pridem denunciatos acceperat, *Filios non corripuit*; non ea, qua par erat, quam peccati immanitas, quam læſa Dei Majeſtas, ſuique Officii ratio poſtulavit, ſeveritate repreſſit.

[a] Audire videor non tam minacem auctoritatis indignabundæ vocem, quam teneriorem quandam amoris afflicti querelam. [b] *Itaque Illi Patris dicto audientes non fuerunt.* Lenior ista expoſtulatio adeo non animos commovit, aut fregit pervicaciam, ut potius libidinem irritaverit, audaciam confirmaverit.

Cætera ſi deeſſent argumenta, atrocitatem communis peccati abunde commonſtrat graviſſimum Dei ultoris teſtimonium. Ad Parentem, ad Pontificem, ad Magiſtratum, Filiorum, Sacerdotum, Subditorum transfertur culpa, & cognatione quadam delictorum communis derivatur pœna.

Ex inſigni iſthoc, quod in hiſtoria modo evoluta proponitur, judicii divini argumento facile deducitur hæc propoſitio, quam deinceps fuſius probandam & illuſtrandam ſuſcipio; viz.

Magiſtratum ipſo officii jure teneri ad peccata ſubditorum omnia eatenus coercenda, quatenus ea cognoſcere & coercere poteſt.

Cujus quidem veritas ut luculentius conſtare poſſit, præmittitur de actionum humanarum *imputabilitate* diſquiſitio *generalis*.

Pergimus deinde *ſpecialiter* diſquirere, quibus datis circumſtantiis, & quouſque *imputari debent*.

[a] C. 2. 23, 24. [b] V. 25.

Sequitur

Sequitur eorum, quæ dicta fuerint, ad rem noſtram applicatio.

Priorem illam generalem propoſitionem confirmant argumenta, tum ex communi Populorum omnium judicio, tum ex natura Hominis, tum denique ex natura Societatis deducta.

Alienarum actionum ſive merita ſive culpam ad alios poſſe traduci multiplici documento ii intelligunt, qui aut Civitatum ſingularum leges, aut recepta Gentium fere Univerſarum jura animadverterunt. Quis neſcit Liberorum facinora ad Parentes cognationis quodam jure referri, & Subditorum, quas aut ultro Hoſtibus intulerint, aut illatas acceperint, injurias ad Principes potiſſimum tanquam Auctores aut Vindices pertinere?

In re porro militari, ſiquid proſpere fuerit geſtum, illud omne acceptum deberi judicamus, non tam Militum fortitudini, quam Ducis conſilio; Imperatori unice tribuitur & victoriæ laus, & triumphi gloria. Atque adeo demum in omni cauſa videmus rerum exitus, quicunque fuerint, ad eos, qui imperio præſunt, ſive honori, ſive vitio vertendos communi judicio referri.

Nec vero neceſſe eſt ut è *Græcis*, *Romaniſque*, aut cujuſlibet bene moratæ civitatis legibus complura hujuſce rei teſtimonia proferrentur; ubique fere domeſtica ſuppetunt exempla; &, quod

eſt

eſt inſtar omnium, hoc ipſum *Moſaicæ* legis Auctor judicio ſuo comprobavit Deus.

Verum ut facti, quod auctoritate tanta confirmatum accepimus, ratio ipſa accuratius excutiatur, non abs re fuerit variam actionum omnium originem paulo altius repetere.

Animadvertimus ergo cauſam quamlibet agere vi aut *immediata*, aut *mediata*, vi *Phyſica* aut *Morali*; nimirum, vel *per ſe*, virtute *propria*, & facultatum uſu vere *Phyſico*, aut *Alterius*, tanquam *inſtrumenti*, ope *vicaria* uti; aut denique Phyſicum agentem *incitamentis* quibuſdam, ingenio ipſius accommodatis, ad certam actionis ſpeciem determinare. Hæc poſterior cauſa eſt illa quæ ad rem noſtram potiſſimum ſpectat; ad *Hanc* non minus proprie referuntur effectus ſui *Morales*, quàm ad cauſam *Phyſicam* referri ſolent effectus *Phyſici*.

Jam vero, quàm rationi conſentanea ſit iſta actionum alienarum imputatio, facile ſentiet qui naturam Hominis attentius perſpexerit.

Quæ in Homine maxime eminent facultates ad Intellectum & Voluntatem revocari ſolent: pro illarum diverſa determinatione diverſi oriuntur effectus, Phyſici quidem, ſed denominationibus quibuſdam Moralibus ſignati. Utraque facultas ita eſt comparata ut vim ſibi aliunde impreſſam facile patiatur: conſilio alieno dirigi-

gitur

gitur Intellectus: Boni Malique ſpecie alicunde objectâ movetur Voluntas. Cum vero motus illos, unde omnis elicitur actio, alter alteri diverſimode ſubminiſtrare poſſit, ſequitur cum actione ipſa ſic elicita, denominationem ipſius Moralem ad cauſam illam *motivam* referri poſſe, & proinde alterius ſive virtutes ſive culpas alteri imputari.

Quin intuemini pauliſper hominum ingenia. Quis alterius cauſam ad ſe pertinere non exiſtimat, ſi quid inde ad ſe trahat commodi? Si extiterit quidquam laudabile, quàm ambitioſe in laudis communis ſocietatem admitti poſtulat, qui vel paululum quiddam opellæ ſuæ contulerit! Imo vero gloriam alieno labore magno partam quàm facile verbis in ſe tranſmovere ſtudet ignavus ſpectator! quid vero aliud docent iſta Arrogantiæ communis exempla, quàm id ipſum quod probare volumus? viz. humanarum actionum *imputabilitatem*, & ſicut ad volentes laudem, ita & ad invitos dedecus alienum tranſferri poſſe.

In ſtatu *naturali* non ita quiſquam penitus ſibi ſe eſſe natum exiſtimare debet, quin interdum alienas inſuper actiones aliquatenus moderari teneatur. Eſt hæc primaria Naturæ Lex, non modo alteri ne noceas, ſed ut prodeſſe velis. Inde adeo Parentes, Patres-familias animos Li-

berorum Servorumque probis moribus imbuere oportet, libidinem comprimere, ne aut ſibi invicem aliiſve injurias inferant: Si quæ vero per ipſorum negligentiam extiterint, quis non videt ad ipſos eorum culpam, perinde ut damnum, redundare?

Verum argumenti hujuſce vis uberius confirmari videtur, ſi hominem in ſtatu *civili* conſtitutum intueamur.

Illa boni communis ratio, quæ primo diſperſas hominum familias in unum corpus juſſit coaleſcere, eadem adhuc ſubmonet, ne humanum quidquam à nobis prorſus alienum putemus; quin potius, quantum in nobis eſt, ſingulorum ſtudia ad id, in quo Univerſorum poſita eſt felicitas, promovendum dirigamus. Jam vero præter eam, quæ Civis cujuſlibet privati eſt communis, accedit inſuper certis quibuſdam Perſonis propria quædam obligatio, ex *peculiari*, quem ſortiuntur, *ſtatu* exſurgens; qua tenentur civium reliquorum actiones ſecundum præſcriptas regulas moderari.

Ut vero hujuſmodi conſtituerentur Perſonæ, auctoritate publica armatæ, ipſa ſocietatis conſervandæ ratio poſtulat: quæ huic fini aſſequendo inſerviunt, media ſedulo ſunt adhibenda. Frænum itaque injici oportet laſcivienti Civium libertati, certamque inſtitui normam & ſanciri leges,

leges, ad quas ſingulorum mores componantur. Ne vero leges iſtæ, quæ uſque adeo utiles ſunt & neceſſariæ, elingues prorſus & emortuæ jaceant, oportet inſuper *publicam* quandam Perſonam conſtitui, cui illarum rite adminiſtrandarum cura mandetur. Illius intereſt obſequium exigere, Subditorum præſtare. Ad illum, cui media dirigendi contigit poteſtas, unice pertinet publicæ felicitatis aut amiſſæ dedecus, aut acquiſitæ gloria. Civium ergo Privatorum actiones, quibus moderandis præficitur, Magiſtratui ſive in bonam, ſive in malam partem imputandas referimus; ita ut in illius pectore includi & conſiſtere videatur Reipublicæ cujuſvis Fortuna.

His præmiſſis & conſtitutis, diſquirendum reſtat, quibus datis circumſtantiis, & *quouſque*, actiones alienæ imputari debent.

Eſt illud ergo imprimis ſtatuendum culpam alienam nullatenus cuipiam imputari oportere, niſi quatenus illius aliquo modo auctor extiterit: aut *poſitivó*, id, quod à ſe fieri non debuit, *committendo*; aut *privativo*, id, quod à ſe fieri debuit, *omittendo*.

Et prioris quidem generis duas præcipue res, quæ moribus alienis corruptelam attulerunt deterrimam, commemorare libet: magni nominis

Virorum aut Exempla, aut Scripta; aut vitæ, aut ingenii monumenta.

Quanta ſit Exempli vis jam inde omnes à pueritia intelleximus: dum alieni ſpectantur mores, illico formantur noſtri: Senſu prius quam Ratione ducimur, &, ut ita dicam, nudi rerum conceptus repente tranſeunt in judicia; & præceptorum difficiles moras antevertit præpropera Imitatio.

Si vero moribus nequiſſimis acceſſerit inſuper aut fortunæ prægrandis, aut auctoritatis metuendæ commendatio, longe lateque ſerpit diffeminata mali vis. Magna pars mortalium decipitur ſpecie recti; impetuque quodam occulto & ineluctabili ſe in facile obſequium trahi perſentit; quaſi illud à ſe non ſine gloria fieri liceret, quod ab alio impune perpetratum miratur. Ita ut in alienis moribus conformandis non minus valere videatur illuſtre viri Principis Exemplum, quam valet Planetaris hujuſce mundi Centrum in corporum circumjectorum motibus determinandis. Quemadmodum enim Hoc, pro ratione magnitudinis & diſtantiæ, Orbium, quaſi famulantium, moderatur motus, &, itinere utcunque averſo longe divagantes, ad ſe paulatim revocat *Attractionis* inſita vi circumductos; ita Illud, pro diverſa Auctoritatis aut Fortunæ ratione, ad ſe paulatim vicina rapit omnia, minoris

ris vulgi ſequaces regit affectus, levique momento huc illuc impellit.

Quamobrem viderint illi, quorum res ita in excelſo poſitæ ſunt, quam in eo ſibi elaborandum eſſe oporteat, ut fortunæ ſplendorem virtutibus adæquent; cum ipſorum ſingula quævis actio præcepti vim habeat, & Popularium moribus in ſui ſimilitudinem effingendis ita mirifice dominetur.

Quod ad Scripta attinet; — Scriptorem ingenioſe nequam, qui, ſuæ obſequens libidini, in re ſeria nugari audet, aut in religione nimis licenter philoſophans, aut virtuti ipſi bellum indicens, Chriſtiani Orbis Civem eſſe pernicioſiſſimum reor; cum non ad præſens modo ſæculum, ſed ad poſteritatem omnem nequitiæ inexpiabilis derivetur malignitas. Cum Scriptorum immortalitate ſuccreſcit unà & ipſius infamia, & Reipublicæ commune damnum. Mortuus adhuc loquitur, ſuperſtitis ſtyli pravitate peccans, & aliorum, quos in fatalem abduxerit errorem, crimina æternum luiturus.

Quamobrem illud ſerio viderit Scriptor quilibet, quàm periculoſi laboris plenum aggreditur opus, quicunque, aut in moribus aut religione res novas moliens, modeſtiæ & pietatis diſpendio ingenii famæ velificatur. [a] ος ἂν σκανδαλίσῃ

[a] *Matt.* 18. 6.

ἕνα

ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, συμφέρει αὐτῷ, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης.

Duplex hoc nequitiæ imputabilis genus ideo hîc loci annotandum esse duxi, quia hæc nostra ætas utriusque exempla protulit fœdissima, & triumphantem indies malignitatem impune propagari vidit.

Sequitur alterius generis peccatorum discutienda imputatio; istiusmodi nempe, quæ oriuntur ex eorum, quæ à nobis fieri debent, *omissione*. Hujusmodi erat illud Sacerdotis summi, qui, contra quàm & potuit & debuit, "*quos no-*" *verat indigne agere, Filios non corripuit.*" — De hisce potissimum differere postulat instituti ratio, quippe quæ ad personam pertinent non tam *privatam* quam *publicam*.

Cum præscripta legum subditorum libertatem tantùm coerceant dirigantque, non penitus extinguant, ideo quo minus ipsos ad obsequium *omni* in re præstandum adigere possit, Magistratus necessitate quadam *Physica* obstrictus videtur. Sit illud ergo imprimis statuendum, non *omnes omnino* actiones alienas Magistratui imputandas esse.

Præterea incidere possunt tempora, cum corruptelæ quidem gravissimæ extiterint, nec vero ipsas corrigendi Magistratui defuerit *Physica* potestas,

teſtas, verum, cum intempeſtivam ſeveritatem incommoda quædam non minus gravia conſequerentur, expedit, ut, quæ commune bonum promovere nequit, parumper aliquatenus intermitteretur diſciplina. Vidimus interdum collapſam rem cunctando reſtitui, & per ipſas moras ad Reformationem auſpicatius properari.

Si forte Anteceſſoris cujuſpiam aut probroſa lenitas aut perfidia, vel Civium prava jubentium conjuratus ardor permagnam quandam dominantis invidiæ molem, ſive aliud quid impedimenti ineluctabilis objecerit: tum demum publica iſta crimina Magiſtratui nullatenus imputari debent, niſi quatenus per ignaviam aut timiditatem ea corripere & prohibere neglexerit. Verum in Auctores ipſos geminata recidet culpa, tum, quod ipſi officio ſuo defuerint, tum quod labefactam auctoritatem Magiſtratui è manibus extorſerint.

Cum vero decurſu temporum ſæpius accidat, ut ipſa legum ratio immutetur, & media inſtituta propoſito fini aſſequendo inſervire deſinant, ſequitur diſciplinam iſtiuſmodi, quæ quotidie inutilior eſſe cœperit, non eſſe acrius exigendam. Non neceſſum habet Magiſtratus omnia pro ſuo jure agere: aliqua interdum indulgeri poterit licentia, modo pudenter ſumpta.

Si

Si vero in Disciplinæ cursu aliquid inepti vel absurdi, non Lege scripta, sed Consuetudine solum vitiosa confirmatum, acceperimus; quisquis id, quod rei Literariæ impedimento fuerit aut dedecori, aut aliquatenus immutare, aut etiam penitus abrogare molitur, næ ille adeo non Literatorum censuram, ut etiam laudem promeruisse videatur. Quis Antiquitatis tam ineptus fautor, ut non fateatur inique agere magistratum qui, inter nova Philosophiæ indies florentis incrementa, venerandam Proavorum ignorantiam excuti nollet; aut in Physicis rebus *Aristotelis* vestri errores ipsos hodierno die vobis acriter propugnandos imperaret?

Nihil certe prius potiusve habet Magistratus, quam ut muneris sibi rite delegati finem seriò perpendat, deinde, quæ commodissime adhiberi possunt & debent, media animose prosequatur. Si vero, quod ipse honestissime propositum habuit, quo minus feliciter efficiat, aliunde prorsus impediatur; absit, ut Publicorum criminum ei quicquam imputetur: quin potius, quod ad aggrediendum animus non defuerit, in gloriam illi cedat; quod ad exequendum defuerit facultas, id temporum iniquitati tribuatur.

Si vero quo minus officio perfungatur, Magistratus necessitate neque *morali* neque *physica* impediatur; si, quod boni communis ratio postulat,

tulat, id plenius exequendi non defuerit poteſtas, tum demum afferimus Subditorum actiones ipſi merito eſſe imputandas.

Si privata virtus, aut afflictæ ſenectutis imbecillitas, aut denique amoris paterni ægritudo diſciplinæ iſtius, quam peccantibus illico infligi oportuit, intermiſſæ excuſationem ſatis juſtam afferre potuiſſet, pius hic Sacerdos miſericordem Deum ſibi minus infenſum fuiſſet expertus; & veniam forte meruiſſet ille facilis nimiæ benignitatis error. Verum documento memorabili ſatis oſtendit Judex Deus, ſe Magiſtratui timido nimis lenique aliena imputare crimina, & ad Ipſum Auctoritatis, quam exercere non ſuſtinuit, terrores convertere.

Meminerit oportet potius Deo placere, quam Hominibus; [a] Θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν, ἔκδικος εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι. Privatam exuit Perſonam, publicam qui ſuſtinet, Dei, cujus vices gerit, ἀπροσωπολημψίαν ſatagens imitari. Quid iſthoc audio? facilem & perbenignum Magiſtratum! —— Imo potius corruptum Judicem! officii proditorem! Privato quovis affectu vacare oportet qui publicis ſe devovet commodis; Juſtitiam temperet Lenitas, ſed ita, ut non corrumpat.

a *Rom.* 13. 4.

Auctoritatis inſtitutæ ſive Originem, ſive Finem ſpectemus, utrobique argumenta exſurgunt validiſſima, quæ Magiſtratui excuterent ignaviam, exſtimularent induſtriam, acuerent ſeveritatem.

Cuinam hæc cogitanti tanta eſt vecordia, ut ea auſit negligere in quibus rite adminiſtrandis Reipublicæ continetur ſalus? aut poteſtatem, quam à Deo Auctore delegatam acceperat, aut male utendo violare, aut non utendo contemnere?

Permulta quidem ſacræ paginæ extant præcepta, quæ, non ſine graviſſima pœnarum denunciatione, Subditorum propenſiſſimum exigunt obſequium. Quis autem non videt per eadem deſignari itidem reſpondentia Magiſtratuum officia, cognata quadam habitudine conjuncta: & ab His urgendam eſſe diſciplinam, quæ Illis religioſe obſervanda commendatur?

Ex his, quæ jam antea dixi, intelligat Magiſtratus officiorum rationem eo uſque ſibi extendi, quouſque ſibi Auctoritatis libere exercendæ contigit facultas: nimirum, quum diſciplinam exercendam aliunde cauſa nulla *phyſica* impediat, & inſuper cauſæ quædam *morales* poſtulare videantur: quicquid adeo efficere *poteſt*, idcirco etiam *debet*.

Videat

Videat porro Magiſtratus, quam in eo ſit ſibi elaborandum, ut iſta, quæ ſibi aliquando ſenſerit fore imputanda, plenius cognita habeat & perſpecta. Quæ ad officium pertinent, ea ultro neſcire, quam iſthoc eſt in Magiſtratu turpiſſimum, quod non eſſet in homine Privato tolerandum? Ignorantia iſtiuſmodi, quam ſibi quiſpiam non invito patitur obrepere, adeo non imminuit culpam ut uberius augeat. Suæ quieti conſulere, & iniquitatem Temporum ignavo queſtu deflere, non iſthoc animi eſt honeſti aut generoſi, quem decuit potius, prout communis boni ratio poſtulat, auctoritatis vim graſſanti malo opponere, Civiumque licentiam aut conſilio moderari, aut ſupplicio coercere.

Ante omnia muneris ſibi delegati finem ſpectare meminerit, & quid à ſe fieri poſſit ſedulo perpendere & experiri: &, ſi forſan, dum communi ſtudet bono, Privatorum quorundam affectibus adverſari contigerit, immerita odia eadem illa, qua provocare poterat, fortitudine contemnet, conſtantia ſuperabit; ſuo interim fruiturus labore, ſive proſpicit futura, ſive reſpicit præterita; tum laudabilis propoſiti conſcius, tum rationis à ſe olim reddendæ pie memor.

Ex iis quæ jam dicta ſunt conſtat

Quod in *genere* actiones alienæ nobis imputari *possunt*.

Deinde in *specie quousque* imputari *debent*:

Unde confirmatur, quam probandam suscepi, propositio: viz. Magistratum ipso officii jure teneri ad Subditorum peccata omnia eatenus coercenda, quatenus ea cognoscere & coercere *potest*.

Sequitur eorum omnium, quæ dicta fuerint, ad rem nostram Applicatio.

Scitum profecto illud est in causa aliena ea videre, quæ nobis documento, & usui sient. [a] ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις· ἐγράφη δὲ πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν.

En! itaque causam duplicem; tum Subditorum impune peccantium, tum Magistratûs pra nimia lenitate perfidi. Quantum nequitiæ ab hominibus *Clericis* perpetrari poterat, *Hophni & Phinees* exemplo detestabili prodiderunt. – Quid à Gubernatoribus *Ecclesiasticis* merito fuerit expectandum, commonstravit auctor Deus.

Exinde intelligi potest, quam parum valet ad crimen non privatum expiandum Magistratûs privata virtus. Disciplinæ enim necessariæ intermissio quid aliud est, quam fidei publicæ violatio? quàm plane inexcusabilis illa est Negli-

[a] 1 *Cor.* 10. 11.

gentia,

gentia, quam acerbiſſima olim ſequetur ſollicitudo! quam præpoſtera illa Lenitas, quæ Reipublicæ damnum infert irreparabile! quam demum inepta pariter & impia illa Timiditas, quæ Deum ipſum aliquando ultorem provocare non veretur!

Quamobrem exempla iſthæc eo animo intueamur, ut exiſtimemus denunciationis divinæ rationem non ſolummodo ad Magiſtratum ſive *Civilem* ſive *Eccleſiaſticum* pertinere, ſed ad eos inſuper omnes, quicunque alienarum actionum dirigendarum curam ſuſceperint. Exiſtimemus adeò quod pro officii, quod fuerimus ſortiti, dignitate majori, ſeverior à nobis adminiſtrationis ratio olim fuerit exigenda.

Quonam igitur animo ad officia gravioris momenti, ad res *Sacras* adminiſtrandas accedere oportet? Quotquot ideo ad Sacerdotale munus aſpirant, ſerio perpendant quantam cum dignitate unà ſibi accerſunt [a] laboris & periculi molem ſuſtinendam. Recolant omnia quæ populi *Iſraelitici* paſtoribus varie & præceperat, & denunciaverat Deus, obnixe identidem increpans, admonenſque ne officio ſuo ullatenus deeſſent: ut popularium vitiis adeo non cederent & lenocinarentur, ut ipſos impietatis reos audacter re-

[a] Hâc de re plura qui velit conſulat *Chryſoſtom.* de Sacerdot. & *Gregor. Nazianz.* Orat. Apolog.

dargu erent,

darguerent, & à morte retraherent —— [a] *Si per ignaviam paſtoris impius perierit, ſuo quidem vitio morietur impius, ſed Ego ejus ſanguinis pœnas à te repoſcam.* O terribilis illam judicii divini vocem juſtiſſimam, quæ illis, qui ſalutis alienæ curam ſibi concreditam perfide neglexerint, haſce minas graviſſimas denunciaverit! [b] Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον οὐκ ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἐλαχίστων, οὐδὲ ἐμοὶ ἐποιήσατε. Καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον.

Qui hominis *Clerici* vitam intuetur, curis tam variis iiſdem & difficillimis diſtrictam, Deique inſuper judicis aliquando ſeverius examen ſubituram, quidni, cum Apoſtolo exclamet illico [c] πρὸς ταῦτα τίς ἱκανός; imo & indies minus miretur, *Chryſoſtomum*, alioſque temporum ſuperiorum *Patres* à ſacerdotio, velut imminenti quodam periculo, refugiſſe; & dignitatem Epiſcopalem ultro delatam tanta cum modeſtia & pietate detrectâſſe, quanta Alii ſæculis recentioribus cum avaritia & ambitione captârunt.

Quam deteſtabilis ergo eſt illorum hominum impietas, qui, cum officiis *civilibus* plane indigni videantur, rebus tamen [d] *ſacris* profana

a *Ezech.* 33. 8. b *Matt.* 25. 45, 46.

c 2 *Cor.* 2. 16.

d Ἡσύχην ὑπὲρ τῶν ἄλλων, ὅσοι μηδὲν τῶν πολλῶν ὄντες βελτίους, μέγα μὲν οὖν εἰ μὴ καὶ πολλῷ χείρους, ἀνίπλοις χερσὶν, ὁ δὴ λέγεται, καὶ ἀμυήτοις ψυχαῖς, τοῖς ἁγιωτάτοις ἑαυτὸς ἐπεισάγουσι, καὶ τὴν ἄξιον ἡγεῖσθαι

quadam temeritate ſe immiſcere audent! Inepti & infames Sacrificuli, qui, quod ſuperſtiti *Helianæ* domûs nepoti à Deo fuit, graviſſimæ inſtar pœnæ, denunciatum, id ipſum præ ambitioſa quadam paupertate ultro affectant, [a] *Dimitte me obſecro ad unam partem Sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.*

Cum vero animarum cura ſit omnium longe maximi res momenti, & ad Sacerdotale munus rite obeundum animi poſtulentur dotes ampliſſimæ, quas humana aut recipit natura, aut perficit induſtria; quam neceſſaria, imo vero quam Sacra eſſe videtur *Academicæ* inſtitutionis ratio? Quanta tum in ingeniis excolendis, tum præcipue in moribus conformandis adhiberi debet cura, ut & officio noſtro, & Reipublicæ votis reſpondere poſſimus?

Ingeniis vero quænam accedere poteſt cultura præſtantior, quam illa, quam ex ampliſſimis voluntatis ſuæ revelatæ monumentis Deus ipſe nobis propoſuit hauriendam? [b] Ερευνᾶτε τὰς γρα-

φὰς,

λοίδαν ωθησίναν τοῖς ἱερεῦς μεταποιῆνταν τοῦ βήματος, θλίβοντά τε καὶ ἀθοῦνταν ωδὲ τὴν ἀγίαν τράπιζαν, ὥσπερ οὐκ ἀρετῆς τύπον, ἀλλ' ἀφορμὴν βίε τὴν τάξιν ταύτην εἶναν νομίζοντες, ὐδὲ λειτυργίαν ἐπιθυμοῦν, ἀλλ' ἀρχὴν ἀνειξέπαυτον. ——— ὧν εἰ καὶ σῆσαι τὴν φορὰν χρεῖαν ἦν ωδ' ἡμᾶς, ἀλλὰ τό γε μισεῖν τὴ αἰσχύνεσθαν μέρος εὐσεβείας οὐ τὸ σμικρότατον. Hæc de ſuorum temporum Clericis pleriſque non ſine querela & indignatione memorat *Gregor. Nazianz.* Orat. Apolog.

[a] 1 *Reg.* 2. 36. [b] *Joh.* 5. 39.

φὰς, ῥήματα ζωῆς αἰωνίε. Sapientiæ Divinæ oracula habere explorata & cognita, iſthoc demum eſt ſapere. Hoc qui fuerit aſſecutus, eruditionis profanæ commendationem minus deſiderat: ipſa de literaturæ omnis humanæ viribus triumphat mortali major ingenio Materies. [a] Ζητεῖτε δὲ πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν. Qui literis humanioribus ita ſe penitus dedit, ut ſacras omnino negligat, næ ille opera miſere abutitur, multa intelligendo nihil intelligens! Quid enim homini profuerit ſi Encyclopœdiam univerſam intellectu fuerit complexus, eorum interim, quæ ad animæ ſalutem æternam pertinent, cognitionem curamque prorſus contempſerit? [b] Η τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ; quàm plane indignum eſt illo homine, qui Theologiæ nomen dederit, Poetarum nugas, Oratorum floſculos, Philoſophorum ſubtilitates anxie venari; ita illis conquirendis laborem omnem impendere, ut nempe aliquando prodeat ingenioſus, inepte declamitans Concionator: interea vero ea ſedulo neſcire, quæ fere ſola hominis Chriſtiani cogitationes exercere debent, paginæque ſacræ ſtudium, τὸ ἓν ἀναγκαῖον, velut laboris exigui, leviſque momenti rem faſtidioſe negligere: quaſi elegantis ingenii commendatio eruditæ pietati eſſet anteponenda?

[a] *Matt.* 6. 33. [b] *Mar.* 8. 37.

Quam-

Quamobrem, *Juvenes Florentiſſimi*, metam ſtudiorum omnium ſupremum recolite: eorum nempe, quibus animarnm paretur ſalus, cognitionem: digniſſimum hæc materies ingeniis laborem injicit & certamen. Proinde ita literas humaniores colite, ut Theologiæ rite famulari doceatis, & ſubſidio eſſe ornamento. Quæ fuit *Timothei* præcipua laus, ſit illa itidem veſtra, quod à tenerioribus annis [a] τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδατε, τὰ δυνάμενα ὑμᾶς σοφίσαι εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ad cujus ſtudii commendationem nequid deſiderari poſſit, ipſius finem uſumque videte ab Apoſtolo verbis ſequentibus ita deſcriptum. [b] Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος.

Ad mores vero formandos quod attinet, eſt quidem apud nos diverſa, quam quæ in Eccleſia primæva vigebat, Chriſtianæ juventutis erudiendæ ratio. Non nunc, ut olim, ſub *Diſciplinæ* communis *Magiſtro*, non nunc ſub propiori inſpectantis *Epiſcopi* auſpicio juventus Chriſtiana vitæ dirigendæ præcepta ſimul ducit & exempla. Ad *Academias* iſta transfertur cura: [c] Ut-

a 2 *Tim.* 3. 15. b V. 16, 17. c Liceat hac de re, quæ l. 6. Origin. Eccleſiaſtic. fuſius annotavit vir doctiſſimus *Joſ. Bingham* perlegenda commendare.

cunque vero inſtitutionum immutentur *modi*; at idem *finis* promoveri debet. Oportet ſaltem pietatem primævam quatenus licet æmulari, & nequid detrimenti capiat Eccleſia ita proſpicere, ut ex hiſce *Prophetarum Scholis* ſemper prodeant Viri, qui illi præſidio eſſe poſſunt & honori.

Quamobrem ſi Clerus eruditione & pietate inſignis Reipublicæ Chriſtianæ felicitati ſit & ornamento; qui vero doctrinæ morumque commendatione prorſus deſtituitur, communi damno ſit & dedecori; hoccine leve quiddam eſſe ducimus, Epiſcopis, (qui non nunc, ut olim, Candidatorum vitam oculis fidelibus ſubjectam explorare poſſunt) Adoleſcentes Ordinandos commendare, & ignotos (nequid gravius dicam) facili judicio comprobare? Pudeat hæc nobis opprobria potuiſſe unquam dici! quanto rectius feciſſet Alma Mater, ſi *quos noverat indigne agere, filios corripuiſſet?* ſi plura ſeveritatis publicæ extitiſſent exempla, plura itidem extitiſſe viderat & gloriæ monumenta. Exulet ſemper Academiâ illa perfidæ lenitatis ſpecies, quæ Eccleſiæ fuerit damnoſa. Utriuſque bono is demum inſervit feliciſſime, qui, fidiſſimus vindex, diſciplinæ ſalubri vigorem addiderit & efficacitatem.

Abſit ut quiſpiam inſtitutionem illam exiſtimet ineptam eſſe, & inelegantem viroque liberali prorſus indignam, in qua maxime Academiæ

conti-

continetur laus: Cujus quanta ſit vis ut intelligi poſſit, fingite pauliſper animis jacere illam oppreſſam penitus & extinctam. Quid tum in Academia ſupereſſe videbitis tanto dignum nomine? quidni potius crediderit quiſpiam obſcuriora illa Monachorum ſæcula rediiſſe? Ex altera parte quid ſpectaculum aperiri poterit glorioſius, quam illa omnium ordinum ad commune Academiæ bonum conſpiratio? dum ſtuduerint alii auctoritate moderari, alii opibus juvare, alii conſilio dirigere, alii ingenio illuminare, omnes denique exemplo prodeſſe: his demum artibus non ſine gratulatione quadam communi ſentiemus Fundatorum ſpes adimpleri, Academiæ gloriam, & Reipublicæ utilitates promoveri.

Et de Diſciplina quidem ſalubriori aſſerenda quoties cogitare contigit, toties ſubit illius Viri deſiderium & memoria longe gratiſſima, Illius, qui Academiæ politiam condidit, potiori titulo Fundator: Cujus ſive Legiſlatoris ſapientia, ſive Cancellarii exemplo nihil unquam præclarius viderit Academia. Singulari prorſus exemplo! cujus recordatio ipſa poſteris æternum profuerit, dum aut Auctoritatis & Fortunarum conſimilium viros in gloriæ conſimilis æmulationem erexerit, aut omnibus demum diſciplinæ utilioris vindicibus accenderit animos, firmaverit conſtantiam.

ſtantiam. Adeo ut nihil potius optandum habeat Animus publici ſtudioſus commodi, quam, ut illius in Magiſtratus Academicos derivetur ſpiritus, nova literis addat incrementa, priſtinum pietati ardorem reſuſcitet; ita ut efflorescat Academia titulo non inani Literarum & Religionis ſedes celeberrima.

In ſumma, vidiſtis, *Juvenes dilectiſſimi*, actiones veſtras à Magiſtratu Academico adeo non eſſe alienas, ut illi aliquatenus auctori fuerint imputandæ. Intelligitis adeo oportere illum ad ſtudia moreſque veſtros dirigendos eos animo accedere, ut excutiat ignaviam, acuat induſtriam, reprimat licentiam, alat virtutem. Diſciplinam hancce neceſſario adminiſtrandam efflagitat rei Academicæ emolumentum, noſtrique muneris ratio. Quare veſtrum erit animo lubenti id obſequium præſtare, quod à Magiſtratu debet exigi. Auctoritatis, quæ id unice propoſitum habet vobis ut proſit, neque lenitatem contemnite, neque cenſuras provocate, [a] Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν καὶ ὑπείκετε· αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ ὑμῶν ὡς λόγον ἀποδώσοντες.

a *Heb.* 13. 17.

SAMUEL

Triplici Nomine Laudatus,

Propheta,

Populi Iſraelitici Judex,

Scholarum Propheticarum Rector.

CONCIONES DUÆ

Habitæ in Templo B. V. M. Oxon.

Coram Baccalaureis Determinantibus.

A JOHANNE BURTON S.T.P. Coll. *Eton.*

Haud ita pridem C.C.C. *Oxon.* Socio.

OXONII,

Ex Typographeo Clarendoniano.

Proſtant apud J. Fletcher, Bibliop. *Oxon.* &

J. Rivington & J. Fletcher, *Londin.*

MDCCLIX.

Lectori Clerico S.

TIBI, Lector Clerice, censori hoc quicquid est opusculi sive castigandum sive approbandum commendo.

Equidem serius quam oportuit telam, multis retro annis exorsam, pertexo: historiam nempe Israeliticæ tum Ecclesiæ tum Reipublicæ sub extremis Judicum temporibus, quæ quidem adhuc explicanda supererat, jam tandem absolutam exhibeo. Et quidem rerum gestarum ordinem secutus haud incommode videor mihi iis, quæ fuerant jam præmissa, hanc nostram Samuelis *laudationem subjunxisse; ut, cum in altera parte, quas indignabundus oderis, improbitatum in omni genere immanissimarum exempla extitisse videris, in hac altera virtutum, quas amare & admirari velis, consummatissimarum exempla pro merito suo prædicentur.*

En adeo Samuelem a me nomine triplici laudatum: Prophetam ---- populi Israelitici *Judicem --- Scholarum Propheticarum Rectorem. Adeste animis, verbi divini Ministri, & quicquid est Magistratuum Civilium, adeste animis, Theologiæ studiosi, & illius causam a re vestra haud prorsus alienam cognoscite.*

Ecquis interim in grege vestro præ cæteris eminet, ititidem personam triplicem sustinens, idem simul in Republica & Ecclesia princeps vir, inter Prophetas primarius, gentisque Propheticæ rector & moderator consilio, autoritate, exemplo? ----- Ecquis provinciæ tum Sacerdotalis tum Hierarchicæ officiis omnibus per longam annorum seriem tanta cum fide & diligentia perfunctus, ut decedens bonis omnibus honorificum sui desiderium excitaverit? --- ecquis Samuelis *virtutes ita assecutus, ut similiter administrationum publicarum examen aliquando subiturus humili cum fiducia ad Deum hominesque*

neſque innocentiæ atque integritatis teſtes provocare potuerit? ----- qui denique res ab illo geſtas ita perluſtrat ut in illius laudibus appoſitis ſua non agnoſcat opprobria? --- intelligat profecto Ille hanc Samuelis hiſtoriam potiori quodam jure ad ſe tranſlatam pertinere: adeoque præ cæteris Illum non tam ambitio mea quam materiæ, quæ illuſtranda exhibetur, dignitas ipſa Patronum vendicat; & hæc pagina mea Illius præ cæteris quibuſcunque nomen ſibi præſcribi gauderet. — Quodſi forſan aut verecundiæ cujuſdam inexpugnabilis aut altitudinis inacceſſæ reverentia petitiones noſtras ſummoveat, at licebit ſaltem in præteritorum recordationem redire, licebit Oxonienſibus Præſuli, curriculo hoc laudis defuncto, parentalia quædam perſolvere, virtutumque, quarum fructus percepimus uberrimos, memoriam recolere atque poſteris commendare.

Ως απο τοξυ ιει-
σ' ιωδιω' επι τυτον· α-
γε, Μοισα, υρον επεων ευ-
κλε'· αποιχομενων γαρ ανερων
Αοιδοι και λογοι τα καλα
Σφιν εργα κομισαν·

De argumenti quod explicandum ſuſcepi delectu *non neceſſe habeo multa præfari: ita certe tibi prodeſſe cupio ut etiam aliquatenus placere poſſim. Atque adeo t Sylva theologica materiem deſumere libuit hiſtoricam potius quam dogmaticam, eandem non fructuoſam minus quam jucundam, plenam miraculis, plenam itidem documentis: qua quidem nihil afferri poterat ad admirationem pulchrius, nihil ad ſapientiam gravius, nihil demum ad uſus communes accommodatius. — Illam ſane, quæ de* Prophetarum Scholis *inſtituitur, diſquiſitionem in Archæologia quadam, non explicita ſatis & definita, verſari ſentio; adeoque ingenii luſibus atque conjecturis multa facile permitti. Ego quidem ſatis habeo, ſi in*

his

bis antiquitatum Hebraicarum inveſtigationibus maxime veriſimilia videar aſſecutus: ſi, quæ ad Scholarum Propheticarum originem, incrementa, diſciplinam pertinent, paulo diſtinctius explicaſſe, ſi recondita in conſpectum publicum produxiſſe, obſoletis formam atque nitorem reſtituiſſe, & rebus demum obſcuris lucem aliquam quoquo modo affudiſſe contigerit: Hoc eſt quod volui. Et quidem hac in parte operam libentius impendi, cum inter Scholas Propheticas & Inſtitutiones Academicas analogiam quandam intercedere viderim, &, pro ratione quadam analogica, documenta ſaluberrima ad Juventutem noſtram Academicam non incommode tradicta pertinere.

Scriptionis modum *quod attinet ---- ſentio quam difficile ſit hominum Criticorum faſtidiis ſatisfacere: ſcias tamen nonnihil hac in parte eſſe a me ſedulo elaboratum, & eum fere adhiberi quem rei ſubjectæ aptiſſimum judicavi, non quidem pulvere ſcholaſtico ſordidum, ſed neque illiberaliter popularem neque ornatu oratorio ſplendidum; ſed potius ſimplicem & apertum, dilucidum & εμφατικον. Non eſt profecto non eſt diſſimulandum hujuſce ævi ſequioris noſtrates pleroſque in Concionibus Latinis ſcribendis minus feliciter verſari, ſive philoſophice diſſerentes ſive populariter declamitantes. Ex utraque parte diverſa ſcribentibus vitia incidunt; tum hinc auribus Romanis ingrata dictionis Scholaſticæ barbaries, & ſententiarum jejuna ſubtilitas: tum illinc ſtilo quaſi inopinanti obrepit ſplendidior quædam barbaries, ſive adulterina Latinitas Angliciſmum neſcio quem incluſum prodens. Utrobique certe ſermonis Romani verum colorem & figuram deſiderari ſentio.*

Vereor equidem ne nimis arrogantem eſſe me exiſtimes, qui alios in genere auſim reprehendere; nec immerito requiras quid novum aut ſingulare ſcriptio noſtra apportet. --- Ego ſane nihil de me magnificum polliceor; ſiquid autem, ſiquid forte in hac ſcribendi exercitatione pro-

profecerim, in qua non inficior me fuiſſe mediocriter verſatum, illius fructum qualemcunque ad te derivari cupio. ------ *Rogas adeo ego quid hac de re præcipiendum cenſeam? imo vero documenta accipe non tam præcepti alicujus quam exempli. En itaque quem in hoc ſcriptionis genere ducem ſequaris, illum olim in Academia Oxonienſi theologiæ Profeſſorem Regium* Sanderſonum: *hominem in primis dialecticum, neque vero minus oratorem: qui horridiorem illam Scholaſticorum* ακριβολογιαν *elegantiæ cujuſdam novæ & ſingularis condimento temperatam exhibuit, ita ut de qualibet re ſubjecta apte diſtincte graviter nec inornate verba faceret. Unde illi hæc eximia dicendi facultas acceſſerit rogas? inde nimirum, unde eandem & ipſe facile poſſis depromere. Verſabatur ille in M. T. Ciceronis operibus, non quidem oratoriis, quæ plus admirationis quam imitationis habere videbantur, ſed in philoſophicis, quippe ad uſus morales communeſque magis attemperatis: hæc ille continuo legere, relegere, eorum ſuccum atque ſanguinem haurire, in ſcripta ſua transfundere. Itaque illi verborum neque delectus neque copia deerat. Videas quid ipſe potiſſimum ſequor, quid tibi præcipuum commendari velim; Ut nempe Majorum in hac parte induſtriam & elegantiam æmulari ſtudeant adoleſcentes academici; nec ſcribendi facultatem ſibi aut deſuetudine diuturnâ torpere penitus & intercidere, aut conſuetudine prava corrumpi & vitiari patiantur.* *

Hæc ſunt ſcribentis conſilia atque ſtudia. --- *Liceat, tanquam diſcedenti, hæc Samuelis verba adhibere, quibus extare poſſit meæ erga Almam Matrem Filioſque pietatis declaratio:* Abſit autem a me hoc peccatum in dominum, ut ceſſem orare pro vobis: Imo vero inſtituam vos in viâ optimâ & rectiſſimâ.

J. B.

* *Videas, quæ alibi a me fuſius ſunt diſputata* in Diſſert. de Literarum Græcarum Inſtitutione. *Oxon.* 1758.

1 Reg. XII. 2, 3.

Ego vero continenter ambulavi coram vobis a pueritia mea in diem hunc : Ecce me ; teſtificamini contra me coram Jehova, & coram uncto ejus.

RERUM inſigniter memorabilium hiſtoriam [a] hæc ſanctæ Scripturæ pagina exhibet. Jam enim erat cruentum illud contra *Ammonitas* bellum *Saulo* duce feliciter confectum : — victor exercitus *Gilgalam* revertitur : — ibi ordinum omnium celebratur conventus : — Deo Liberatori publicæ ſupplicationes & ſacrificia Euchariſtica decernuntur : — *Samuele* autore, cum populi univerſi conſentientis plauſu, Regi inaugurato regnum

a 1 Reg. 11. a comm. 11. uſque ad finem cap.

Και παλιν, ὁρωντος τε πληθους, ὁ Προφητης χελευει τον Σαυλον τω χριω ελαιω, και δευτερον αναγορευει βασιλεα. Hæc in Archæolog. Joſeph. l. 6. & paulo infra — ὁ δε λαος ὑφ' ἡδονης των Σαυλω καλλοξωμενων ἐχαιρε μεν οτι τοιουτον ἐχειροτονησε βασιλεα.

confirmatur: — illico omnis obtrectatio in obſequium & admirationem tranſiit. Felicitatis demum publicæ novus quidam ſplendor emicuit: ubique læta rerum facies, convivia, plauſus, gratulationes, triumphi. *Sacrificabant ibi ſacrificia euchariſtica coram Jehova: quamobrem lætatus eſt ibi Saulus, & omnes Iſraelitæ pervalde.*[a]

In auguſto hoc totius gentis *Iſraeliticæ* conſeſſu, idoneam nactus occaſionem, *Samuel* coram Rege populoque rei publicæ a ſe adminiſtratæ rationes redditurus prodit. Admiremini præclaram hanc ſenis jam emeriti, & Judicis exauctorati ad Deum hominesque anteactæ vitæ teſtes provocantis orationem: *Ego vero continenter ambulavi coram vobis a pueritia mea in diem hunc: teſtificamini contra me coram Jehova & coram uncto ejus.*[a] — admiremini porro integritatis ſpectatæ teſtimonia pulcherrima, & tropæis militaribus potiores victricis innocentiæ triumphos. Prophetam honorifice abſolutum uno ore laudavit conſentiens populi vox, tum certe, ſiquando unquam, vox Dei. Dixitque *Samuel, teſtis eſt Jehova contra vos, & teſtis eſt unctus ejus, hodie non vos inveniſſe in manu mea quidquam. Dixitque populus aſſentiens, uterque eſt teſtis.*

Video equidem *Samuelis* hiſtoriam mihi aperiri univerſam, hiſtoriam a pueritia uſque ad

a 1 Reg. c. 12. a comm. 1mo ad finem cap.

ſenec-

ſenectutem eximia rerum geſtarum & magnitudine & varietate ſpectabilem, imo etiam & miraculis plenam, nec minus documentorum utilium fœcundam: quam quidem ita explicandam & illuſtrandam ſuſcipio, non ut indiſcriminatim omnia oratione amplificem, ſed ut ſingulares quaſdam, quæ in vitæ tam memorabilis decurſu maxime eminebant, virtutes commonſtrem, &, quæ exinde nobis præcipue uſui futura ſint, documenta excerpam.

Erit ergo *Samuel* nobis triplici potiſſimum nomine laudandus, quatenus triplicem, eamque publicam, perſonam ſuſtinebat, Utpote

1. Propheta,
2. Iſraelitici populi Judex,
3. Scholarum Propheticarum Fundator & Rector.

Unde triplex deducitur applicatio ad

1. Verbi divini Miniſtros,
2. Civilem Magiſtratum,
3. Prophetarum filios, ſive Juventutem Academicam.

Imprimis itaque laudetur *Samuel* [a] Propheta. —In ipſo hoc nomine continetur dignatio quam honorifica! ecquid enim majus meliuſve natura recipit humana, quam familiare iſthoc cum om-

[a] To *Nabi* quid ſignificat v. *Witſii* Miſcell. ſacr. vol. 1.

nipotente

nipotente Deo [a] commercium? quod quidem, cum hominibus Deus impertiverit πολυμερως και πολυτροπως, temporibus gradibus modiſque diverſis, inde adeo munus iſthoc Propheticum accepimus a Scriptoribus ſacris diverſimode deſcriptum; ita ut dici poſſit aut extraordinarium aut ordinarium, adeoque ipſius derivatio aut immediata ſit aut mediata.

Senſu maxime proprio & eminentiori Prophetæ appellantur ii, quos cœleſti animatos ſpiritu Deus evocavit voluntatis ſuæ interpretes atque internuntios deſignatos, quique adeo res arcanas, ſive eæ [b] præteritæ fuerunt, [c] ſive præſentes, ſive etiam [d] futuræ, quomodocunque ſibi divinitus patefactas cum populo communicant, tum [e] benedictionum tum [f] comminationum divinarum haud vani præcones; quique porro pro

a Eſt 1. ubi Deus cum Propheta loquitur — ut *Gen.* 12.; *Gen.* 18. 17. *Ezek.* 2. 2. — *Joh.* 14. 21. *Joh.* 15. 15.

2. Ubi Propheta cum Deo loquitur —— ut *Abraham*, *Moſes*, *Elias*, *Eliſæus* — Pſal. 99. 6.

3. Ubi de Deo ad alios loquitur, ſc. concionando, doeendo, cantando &c. ita cantica ſacra inter Prophetiæ partes numerantur —— 1 *Sam.* 10. 5, 6. 1 *Chron.* 25. 1, 2, 3.

b Ut Creationis hiſtoria *Moſaica* — *Danielis* de ſomnio *Nebuchadn.*

c *Eliſæus* de *Gehazi* — *Daniel* de *Belteſhazzar.*

d *Iſaias* de *Cyro* 44. 28.

e 1 Reg. 9. 13. f 12. 15, 25.

populo

populo viciſſim apud Deum [a] precibus contendunt, ipſumque, quaſi pro familiaritatis quodam jure, alloquuntur invocantque, tanquam Miniſtri apud Regem ſuum gratia ſingulari valentes.

Senſu autem populari & laxiori eos quoque [b] Prophetas appellari comperimus, qui, a vulgo diſcreti rerumque divinarum ſtudiis unice addicti, gloriæ Dei quomodocunque illuſtrandæ inſerviunt: qui de materie ſacra qualibet ore libero & facundo differunt: qui vel oratione vel etiam canticis, ſancti Spiritus afflatu conceptis, divinas laudes prædicant celebrantque: adeoque *prophetare* dicebatur ille hominum Chorus, qui cum inſtrumentis Muſicis hymnos concinens divinos in *Sauli* occurſum monte ſacro deſcendebat.

Sentio equidem D. *Paulum* prima ad *Corinth.* Epiſt. c. 12 & 14, ubi varia ſancti Spiritus χαρισματα ſive dona extraordinaria recenſet, Prophetiam deſcribere tanquam ſpeciem quandam ſingularem, & inter primarias primam, cæteriſque quibuſcunque anteponendam: verum, ut ut hæc fuerint, Chariſmatum ſpecies pleraſque ab illo memoratas facile intelligo ad hanc prophetiæ noſtræ ideam revocari poſſe, ut διδαχην, αποκαλυψιν, ἑρμηνειαν, &c. cum Propheta noſter

a *Gen.* 20. 17. *Abraham* orat pro *Abimelec.* 1 Reg. 7. *Samuel* orat pro populo.

b 1 *Reg.* 10. 10, 19, 20. — 10. 5. 1 *Chron.* 25. 1.

non

non modo in ſupernaturalibus & in rerum arcanarum revelatione verſetur, ſed etiam divini generis diverſi ſubſidia in Eccleſiæ uſus communes proferat. Sic 1 *Cor.* 14. 26. ἑκαστος ὑμων ψαλμον εχει, διδαχην εχει — atque alibi ὁ προφητευων ανθρωποις λαλει οικοδομην, και παρακλησιν, και παραμυθιαν. —— Quid multis? ſenſu ſubordinati omnes ſapientiæ divinæ ſtudioſi *Prophetæ* appellantur: Præceptores pariter & Diſcipuli, quales erant Prophetarum filii; de quibus fuſius atque diſtinctius diſſerendi erit locus: atque his accenſeri poſſunt & qui apud nos his Eccleſiæ ſæculis ſequioribus [a] Theologorum titulo inſigniuntur, viri in voluntate divina ſcriptis jam mandata rite explicanda atque illuſtranda exercitati.

Videtis itaque muneris Prophetici gradus atque ordines diverſos: videte porro quam in omni parte verſaretur *Samuelis* virtus, ita ut in illo ad integram Prophetæ laudem dignitatemque adimplendam nihil prorſus deſideraretur.

Præclarum certe quiddam polliceri videbatur ipſa [b] natalium conditio: in lucem prodiit, præter parentum ſpem, ſingulari natus providentia & prout nominis ratio innuit, a Deo impetratus, [c] lacrymarum haud inanium puer: &, qui

a V. *Vitringam* de Synagog. vet. vol. 1. p. 356.
b 1 Reg. 11. 20.
c 10.

pietas

ietas fuit materna, Deo itidem redonatus: ex voto *Nazarita*, conſecratum Deo caput capillis intonſis venerandum; ſine labe corpus temperantiæ votivæ perpetuæque diſciplina præparatum: candidior inde, ſordibuſque purgatis anima purior, ſanctique ſpiritus commercio non indigna. *Shiluntem* adducitur quinquennis Puer: ubi conſtituitur ante diem tentorii ſacri miniſter. *Lineo indutus amiculo miniſtrabat Jehovæ coram Heli*, Iſraeliticæ tum Eccleſiæ tum reipublicæ principe & moderatore. Extabant tunc ante oculos Sacerdotum, quorum imperio parebat, impune peccantium exempla plane deteſtabilia; *Filii Heli erant filii Belial, omnino ignorabant Jehovam.* Impietatis tantæ contagio corrumpi non potuiſſe, & ea quidem in ætate, quæ cupiditate magis quam ratione plerunque ducitur, præclara quædam erat innocentiæ & bonitatis & continentiæ laus.

Cohabitarum genere, & quidem profani illius & rebellis *Coræ* ſanguine erat oriundus; ita vo-

a 1 Reg. 11. 28. — 2. 11. — Θεαιτηθν τις ειποι *Joſ.* Archæol. αμυηλ καλειται δε ερμηνευθεις τεταγμενω θεω. — λαθουσα δε αυτα δεδωκει τω θεω μηδεν ιδιον εαυτης κριναντι αγαθον ο μη χαριεις ειη — Αμ. τουτο ο Προφητων και βασιλεων μιγεις Σαμυηλ οινον και θυσιμα ως ιερος λογος φησιν, αχρι πλουτης, ου πιεται, p. 319. αγιος ων φησιν εστιν ο τριφων κομην τριχα της κεφαλης ο ευξαμενω *Num.* 6. ει δε αγιω αναθημα παντως μηδενω επι ανιερω και βεβηλω προσπιπτειν. *Philo. Jud.* Ed. *Mang.* — *Num.* 6. 3, 4, 5.

b 2. 18. c 2. 12.

lente

lente Deo ut, quam olim ſacrilegii inexpiabilis & ſcelerum immaniſſimorum dedecus atque pœna oppreſſerat, familiam eandem ſanctitatis conſummatiſſimæ exemplum aliquando cohoneſtaret. Illum adeo intelligite Levitam fuiſſe, non Sacerdotem: quod quidem ideo notandum cenſui, ut, ſiquid ab eo Sacerdotale in ſacri muneris decurſu præſtitum fuerit, illius rationem ex officii Prophetici prærogativa repetendam eſſe ſentiatis.

En vero! (quod proprium quiddam eſt & ſingulare) [a] puerum impubem Deus alloquio dignatur ſuo: & illis quidem temporibus, quando ſermo *Jehovæ præ raritate fuerat pretioſus, neque viſio fuerat aperta.* [1 *Reg.* 3. 1.] Hac certe in parte populum ſuum, a quo erat deſertus, ipſe viciſſim *Jehova* aliquatenus deſeruiſſe videbatur. Vidimus enim aliquando in Theocratia ſpiritum Heroicum viguiſſe: ſæpe in rebus afflictis perditiſque aſſurrexerunt patriæ [b] Liberatores; Prophetæ vero perpauci. Atque adeo per tria fere ſæcula ſpiritus Propheticus, ſi non plane extinctus interciderat, at certe ita ſopitus elanguit, & tam pauca extiterunt revelationis extraordinariæ exempla, ut poſt [c] *Moſen Samuel*

a 3. 4, 6, 10. — Σαμυηλ δε πεπληρηκως ετος δυοδεκατον προφητευε. και τοτε κοιμωμενον ονομασι εκαλεσεν ὁ θεος. *Joſ.* Archæol.

b v. Lib. Judic. c *Act.* 3. 24.

propheta

propheta maximus, imo fere & proximus annumerari ſoleat.

Jam tandem aliquando ſacri illius ignis, qui jam diu conſopitus jacuerat, fulgor admirabilis erupit: & profecto multiplici indicio Deus ſe præſentem teſtabatur. Quippe *Samueli* non mediate per Symbola, non per ſomnia aut viſiones obſcuras, ſed per vocem [a] e tentorio prodeuntem, prout antea *Moſi*, ſe immediate patefecit. *Non jam ſermo Domini erat rarus*; ſed revelationis claritati frequentia etiam acceſſit: *nam pergebat Jehova apparere Shilunte poſtquam revelaſſet ſe Jehova Samueli Shilunte per ſermonem Jehovæ.* Quæ quidem verba [b] nonnullos video ita interpretari, ut exiſtiment Spiritum hunc Propheticum, qui jam frequentior vigebat, a *Samuele* ad alios quoque *Iſraelitas* fuiſſe derivatum; mentiſque divinæ cognitionem, veluti novi cujuſdam luminis diffuſionem, ab hoc fonte ad alios paſſim redundaſſe. Ut ut vero hæc ſe habeant, illud ſaltem comperimus ſub *Samuele*, Prophetarum duce & parente, jamdudum neglecta verbi divini ſtudia & ſcientiam theologicam nova indies cepiſſe incrementa. [c] *Samuelis ſermo ad Iſraelem univerſum pervaſit: & Jehova erat cum*

a 1 Reg. 3. 21.

b Hanc Abarbanelis ſententiam citatam laudat Vitringa p. 354.

c 1 Reg. 3. 19, 20, 21.

eo, adeo ut non ſineret decidere ullum ex ſermonibus ejus in terram: unde cognovit totus Iſrael a Dane uſque ad Beerſhebam Samuelem eſſe fidelem prophetam Jehovæ. Hoc teſtimonio ſuo graviſſimo *Samuelem* Jehova commendavit, ut populo *Iſraelitico* omni innoteſceret illum ſibi præeſſe Dictatorem divino jure conſtitutum. Et profecto, id ipſum facile omnes recognôrunt virtutis illius propheticæ clariſſima experti documenta. Videte enim *Iſraeliticæ* tum Eccleſiæ tum reipublicæ ſtatum miſerum plane & miſerandum: eum certe, qui divini cujuſdam Prophetæ adjutoris conſilium atque ſapientiam deſiderabat: [a] videte iteratam exercitus *Iſraelitici* cladem, impietatis publicæ pœnam atrociſſimam hoſtili manu inflictam; revera ſuum in *Shilunte* Tabernaculum Jehova nunc deſeruiſſe videbatur, tanquam indignans ea in ſede amplius commorari, quam Sacerdotum ipſorum nequitia intolerabilis polluerat. En enim, (quod & Victoribus & victis prorſus incredibile exiſtimaretur) en illam ſacroſancti Fœderis Arcam, quam, ut inacceſſum quiddam & inexpugnabile, in belli ſocietatem Sacerdotes inauſpicato traduxerant, a Philiſtæis triumphatam—*Helianæ* domus excidium, omnia demum in diſcrimen atque certamen ultimum adducta. Quarum quidem calamitatum

a 4. 10, 11 — 17, 18.

com-

compendia *Pſaltes* Pſ. 78 ſic exhibet deſcripta: *Deus excanduit, ſprevitque valde Iſraelem, adeo ut deſerens tabernaculum* [a] Shiluntis, *tentorium quod collocaverat inter homines, traderet in captivitatem robur ſuum, & gloriam ſuam in manus hoſtis, dederetque gladio populum ſuum, Sacerdotes ejus gladio conciderent, & viduæ ejus non flerent.* In tanta rerum trepidatione & tumultu triſtiſſimo ad quem potius omnium animi atque ora converterentur, quam ad [b] Illum, quem voluntatis ſuæ interpretem certiſſimis indiciis Jehova palam comprobaverat: Hic ipſe rerum exitus luctuoſus, dum vaticinii fidem adimplevit, Prophetæ ſimul autoritatem divinam uberius confirmavit. Non jam prorſus extincta videbatur Theocratia, non omni ex parte populum ſuum Jehova deſeruit, dum *Samuel* ſupererat; ille divini juris conſultiſſimus, cujus ſermo θεοπνεῦστος ad univerſum Iſraelem pervaſit, & effecit ut illa per *Thummim* & *Urim* conſulentibus reſponſio minus deſideraretur. Scitum eſt illud Judæorum *omnia agere Prophetam*, quippe qui, humana major ſorte, Dei ipſius autoritatem gerit delegatam, autoritatem nullis limitibus circumſcriptam. Et certe, ſicui omnino mortalium, *Samueli* noſtro ea laus competebat. Quæcunque enim in Dei honorem & rei publicæ emolumentum *Moſes* olim

a Jerem. 12, 14. — 26. 6, 9. b 7. 3, 4, 5, 6.

inſti-

inſtituerat, eorum omnium inſtauratio ad illum unicum regiminis tum Civilis tum Eccleſiaſtici Moderatorem eſt referenda. Etenim in communi illa, quam ſupra memoravimus, *Iſraelitarum* clade, & ordinum omnium trepidatione, ille ſubſtitit vindex intrepidus, unus inſtar omnium; [a] ille pavitantes & afflictos haud penitus de re publica deſperare juſſit non vanus auſpex: idem ille, cum jam ſacrificiis rite celebrandis locus publicus deeſſet, & una cum Pontificatu jam extincto divini cultus adminiſtratio ſolennis intercidiſſe videretur, — cum populus aliquando tandem, & nequitiæ ſuæ pariter ac pœnarum conſcius, ſeramque agens pœnitentiam, [b] diuturno [ſc. per 20 annos] quaſi abſentis Jehovæ deſiderio langueret, — in hac Eccleſiæ orbitate luctuoſa *Samuel* ſe erexit, *Levita* Sacerdote omni & Pontifice major, quippe Jehovæ Propheta: ille tum unus proſpexit nequid detrimenti caperet Religio, ne unquam pietatis publicæ aut præcepta deeſſent aut exempla. Nihil profecto prius potiuſve habuit vir ille bonus & communis emolumenti ſtudioſus, quam ut populum peccantem, afflictum, & pœnitentem Jehovæ ſuo conciliaret: ea mente ſingula circumſpiciens, quicquid aut religionis ſpeciem externam præferret, aut hominum animis pietatis genuinæ ſenſum

a 7. 9. b 7. 2.

ingene-

ingeneraret, nihil non ſedulo curaſſe videbatur: publicos in uſus [a] altaria extruebat; [b] rem ſacram facientibus aſſiſtebat, precationum ſimul & benedictionum autor: [c] Reges deſignatos Chriſmate ſacro inungebat; &, quæ muneris prophetici magna erat pars, conſulentibus leges divinas explicabat, juſtitiæ & probitatis officia & præceptis & exemplo inculcabat; &, quod poſteris quoque prodeſſe poſſet, Diſcipulorum Collegia inſtituebat Prophetarum futurorum Pater. Quid multis? Prophetæ omnia tum extraordinaria tum etiam ordinaria munia pari cum laude ſua ſuorumque fructu obibat: interdum, quod quidem [d] proprium ſignificat ipſius nominis ratio, res arcanas futuraſque populi *Iſraelitici* Regiſque fortunas & fata prænuntiabat Θεοδίδακτος augur: imo &, quod exempli erat plane ſingularis, [e] mortuus adhuc loquebatur tremendi auctor vaticinii.

Peragrate regionem omnem a *Dane* uſque ad *Beerſhebam*, Prophetæ hinc & inde commeantis veſtigia a *Rama* ſua ad *Miſpam* & *Gilgalam* ſequimini, e domeſticæ ſedis otio in populi frequentiam & celebritatem prodeuntis: &, quotquot ab eo res geſtas recenſueritis, totidem fere

a 7. 17. b 7. 3, 4. &c. c 7. 17.—9. 13. d 10. 1. c. 9. 9.—ea de cauſa videns appellatus — v. *Maimonid.* p. 14. 15. *Pocock* op. per *Twell's*. e c. 28. 15, 16 &c.

vir-

virtutum beneficarum monumenta videbitis. Quin & Eloquentiæ laudem admiremini, Eloquentiæ humano majoris ingenio, quæ apud Deum pariter hominesque mirifice valebat: admiremini illum verbi divini Præconem in expostulando, admonendo, objurgando, denuntiando, & deprecando vehementer disertum: sive, divinæ prænuntius iræ, populo pertinaci & obdurato [a] pœnitentiam lacrymasque excuteret, sive in Catervæ supplicis & inermis auxilium, simul & in hostium triumphantium cladem inopinatam, armamentaria [b] cœli & ipsius Jehovæ tonantis tela devocaret: memorabili ostendens documento, nihil periculi esse illis metuendum, quibus Jehova fautor atque adjutor adesset; atque adeo pietatis unice via ad victoriam & felicitatem deveniri posse. Atque hoc potissimum nomine a Psalte laudatur, *Ps.* 99. 6. *Moses & Aaron & Samuel in invocantibus nomen ejus erant; inclamantes Jehovam ipse illico exaudivit eos.*

Quid porro illa commemorem tempora, quæ eidem, & Parenti & Prophetæ, dubiam plane & ancipitem conflictationem injecerunt, cum aliud suadere videretur privatus amor paternus, aliud fidei publicæ ratio. Ecce enim [c] tumultuans populus concurrit: coram *Samuele* adversus filios degeneres, quos administrationum con-

a c. 7. 6. b 10. c c. 8. 1, 2, 3, 4, 5.

sortes

ſortes & adjutores ſibi aſciverat, inſtituitur querela: ſcilicet aperte rebus novis ſtudebat; & hæc communi levitati vel ambitioni ſpecioſa cauſa prætendebatur.—Annon ſeni ſanctiſſimo hac in re ad dolendum & indignandum occaſio ſatis juſta videbatur? imo vero [a] indignabatur ille: at quo animo? non, ita ut ſibi Magiſtratum regia dominatione jam inſtituenda abrogari quereretur: (probe enim intellexit vir legis Moſaicæ peritiſſimus aliquando tempus affore quando [b] Regem ſibi præfectum experturi eſſent *Iſraelitæ*) ſed quia temere & inauſpicato, ſed quia Jehova inconſulto tanti rem momenti populus tumultuans aggrederetur; atque adeo, per hanc Theocratiæ contemptionem faſtidioſam, Jehovæ, cujus in hac parte imperium excutere videbantur, vindicis iram provocaret: quod ipſum rei exitus oſtendit, Deo ita atteſtante: *non Te abjecerunt ſed Me, ne regnem ſuper eos. Itaque ergo hic Iſraelitarum ſermo diſplicuit in oculis Samuelis, & oravit Samuel ad Dominum.* Scilicet Propheta pius conſilia ſua omnia ad Deum retulit autorem, nulla in re libidini privatæ ſed Dei gloriæ & reipublicæ utilitatibus conſulens, cum medius Deum inter homineſque intercederet, erga utroſque fide pari rebus in arduis ſpectata.

a 6, 7. b *Deuter.* 17. 15.

Videte

Videte autem in utramque partem & ſapientiæ & fortitudinis & integritatis exemplum quoddam ſingulare. Idem ille, qui modo cum *Iſraelitis* de ſumma rerum fidenter expoſtulaverat, qui, cum a rerum novarum cupiditate populum pertinacem revocare vellet, regii dominatus injurias & incommoda demonſtraverat, idem ille *Saulum*, [a] regem jam renuntiatum, omni pietatis ſtudio & publici honoris officio proſequebatur: hoc obſequii memorabilis documento ſuos admonens, quo animo erga Principem cives etiam dignitate præſtantiſſimos affici oporteret. Idem ille Propheta, ſæpius adhibito miraculorum teſtimonio, Regem admonuit, ut in Theocratia ſibi Jehovam adhuc imperantem agnoſceret: &, ne non de religione & Dei miniſtris magnifice ſentiret, regalem fregit ſuperbiam, & ferociam ſubegit divina vis identidem infuſa: [b] effecitque ut *Saulus* ille, aliquando ſui diſſimilis, meliores animos ſumeret, Prophetas inter Spiritu prophetico afflatus. In omni certe cauſa *Samuel* noſter aderat monitor fidus atque auſpex, Regique & rei publicæ affectu plane paterno invigilans: &, quod potiſſimum erat muneris prophetici, id ſedulo agebat, ut conſilio præceptiſque ſaluberrimis Regem ſuum inſtitueret & formaret, tanto nomine haud indignum; quique

a 10. 24. b 19. 23, 24.

adeo

adeo cæteris quibuſcunque non minus laude virtutum quam ſplendore Majeſtatis antecelleret. Eo animo & [a] regni jura formamque & officia Regum libris mandata deſcripſit: &, ſicut antea quæ a Regibus ut plurimum fieri ſolebant ſignificaverat, ita nunc quæ ab iiſdem fieri deberent declaravit, *locutus eſt autem* Samuel *ad populum legem regni, & ſcripſit in libro & repoſuit coram Domino.*

Quid porro deinde? quando *Saulus* ille, animi impotens atque Jehovæ contemptor, ob repetita contumaciæ exempla viciſſim a Jehova [b] repudiatus eſſet, quid tum *Samuel* noſter? non ille quidem ad priſtinæ dignitatis recuperandæ ſpem erectus res novas moliri, non ille obtrectationes malignas & murmura ſeditioſa in vulgus ſpargere — ſed ſuper Rege deſperato, tanquam ſpe quadam ambitioſa ſua dejectus, fortiter indoluit, tacitoque luctu rei publicæ calamitates deploravit. Deſeruit quidem Ille hominem, quem Jehova ſuus deſeruerat, nec ibi manendum ſibi eſſe exiſtimavit, ubi non

a Hoc quidem Joſeph. in Archæolog. cum ad regiæ dominationis abuſum, quem ſuperius deſcripſerat Propheta, referri putaret, ita commentatur: τα μελλοντα συμβησεσθαι καταγραψας αυτοις ὁ προφητης απεγραψε τῳ Βασιλεως ακροωμενῳ· και το βιβλιον τηδεπου εν τῃ τῳ θεῳ σκηνῃ τας μετεπειτα γενεσεις εις μαρτυριον ων προειρηκε.— Nos ſententiam rei ipſi magis conſentaneam ſecuti certam aliquam regiminis formam a Propheta deſcribi arbitramur.

b 15. 11.

eſſet pietati locus: & tamen, quæ mira erat benignitas, infelicitatem illius a ſe non alienam putavit, ſollicitudine adhuc & dolore & miſericordia &, quas incolumes præſtare non potuit, virtutum flebili deſiderio permotus: *Non vidit* Samuel *ultra* Saulem *uſque ad diem mortis ſuæ: verumtamen lugebat* Samuel Saulem, *quoniam Dominum pœnitebat quod conſtituiſſet eum Regem ſuper* Iſrael. 1 Sam. 15. 35.

Illa vero a me maxime prædicabitur invicti animi fortitudo, & linguæ, qualis Dei interpretem & Vicarium decebat, irrefragabilis παῤῥησία. Non ille civium prava jubentium ardor, non vultus inſtantis tyranni mente ſolida dimovere poterat virum propoſiti tenacem, & dignitatis pluſquam humanæ conſcientia præfidentem. Teſtor illam cum [a] *Saulo Amalekitarum* victore, & triumphis jam ferociente, expoſtulationem noviſſimam: teſtor ſimplicitatem illam nervoſam & compendiariam vehementiam & δεινοτητα omni artificio dicendi & Rhetorum exemplis quibuſcunque longe præſtantiorem. Cauſæ ſtatum videte: [b] damnatæ gentis excidium prorſus internecinum Jehova imperaverat: at vero [c] parcendum eſſe cenſuit populus ſcilicet clemens & liberalis; humanitatis, miſericordiæ, imo & pietatis cauſæ prætexebantur, quam ſpecioſæ! &

a c. 15. 14, 15 &c. b 15. 2. c 21.

quidem

quidem mire ſibi placebat victor, voti compos ſpoliiſque opimioribus potitus. Quæ tum erat Prophetæ ſupervenientis, veluti e cœlo demiſſa, vox & oratio? haud alia certe, quam illius, qui turbati maris coercet iras, & conſimiles populi tumultuantis æſtus moderatur. Quam illico rerum color mutatur? [a] repente gaudia inauſpicata caſtigantur: exultantes ſuccumbunt conſcientia ſcelerum oppreſſi: [b] reos coarguebant audita pecudum ipſarum teſtimonia; & pudebat victores triumphi, qui totidem ſimul exhibuit dedecorum ſuorum monumenta. Regi, qui Jehova ſe minorem non geſſerat, [c] abrogatio imperii & Dei vindicis ira denuntiatur, jam tandem in *Agagi*, præter fas ſuperſtitis, cædem armata: quem, nequid amplius piaculi ſupereſſet, in *Sauli* præſentis opprobrium Propheta indignans, victimæ inſtar, mactatum Deo immolavit: [d] *eum in fruſta concidit* Samuel *coram Domino in* Gilgala.

Reſtat poſtremo ut illud modo, quod in hoc capite [1 *Sam.* 12.] continetur, virtutis propheticæ exemplum breviter a me commemoretur. Prodiit, uti jam vidimus, *Samuel* coram Rege populoque judicibus cauſam dicturus: de utriſque divina triumphavit Eloquentia, & ſuffragio communi abſolutus laudatus abiit. Tum vero a re ſua privata ad rempublicam oratio converti-

a 22. b 14. c 23. d 33.

tur.

tur: quæ præſentibus documento ſint temporum [a] ſuperiorum memoria revocatur; inde admonitiones utiliſſimæ adhibitæ, & in [b] utramque partem futuræ ſortis prænuntiatio. Jam tandem Propheta, veluti Judicis perſonam etiamnum gerens, vehementius perorat, Deique καρδιαγνωσου terroribus admotis [c] proterviam popularem caſtigat; publicas inter gratulationes Regem una populumque in judicium trahit; utroſque ad tribunal ſupremum vocat reos, αυτοκατακριτους, pœnitentes. Vox Prophetæ quid aliud erat quam vox Dei? *Samuelis* admonitioni autoritas publica cedebat: ille privatus civis imperare adhuc videbatur, *Saulo* ipſo regnante major, quippe qui potiori titulo erat Jehovæ Miniſter; qui nihil, quod ipſe dictaverat, irritum excidere paſſus, prophetici ſermonis fidem miraculis comprobavit. Teſtimonia quæritis? [d] *nunc ſtate & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro.* Videte e cœlo Tonantem Jehovam: æther innubilus & ſerenus derepente contriſtatur, nimbique & tempeſtates in impietatis

a 12. 6, 7. b 13, 14, 15. c 17, 18, 19.
d 16, ἱνα μεντοι γε φανερον ὑμιν ποιησω τον θεον ερχιζομενον και συγχεαινοντα τη της βασιλειας ὑμων αἰρεσῃ, δηλωσαι τωθ' ὑμιν τον θεον παρασκευασω ἀφ' σημειων εναργως· ὁ γαρ κδεπω προτερον ειδω ὑμων κδεις ενταυθα γεγαννημενον, θερος ακμη χειμωνα αυτησαμθω· τον θεον παρεξω τουτο νυν ὑμιν επιγνωναι. Joſeph. Ant. Jud. l. 6. ad locum.

publicæ

publicæ exprobrationem citantur; ut ille ingratus populus aliquando intelligat in peculio ſuo Jehovam adhuc regnare, atque etiammum in Monarchia ſua Theocratiam præſentem invitus agnoſcat: inde adeo contigit, quod commate 18°. ſcriptum legimus, *timuit populus univerſus, & reverebatur Jehovam, & Samuelem.*

Hæc de *Samuele*, quatenus Propheta, dicta ſunto. Jam porro ad eundem, populi *Iſraelitici* Judicem, tranſitum aperiri video facillimum. Quis enim non libenter crediderit hæc duo munera excellentiſſima in eodem homine conjuncta reperiri poſſe; &, quem Jehova excitaverat Spiritu plenum ſuo, eundem ad reipublicæ gubernationem accedere virtutibus imperatoriis inſtructiſſimum? Quin recognoſcite illam in republica *Hebraica* regiminis formam plane ſingularem, qualis intuentibus jure moveat admirationem & reverentiam. En illam, non Monarchiam, non Democratiam, neque vero Ariſtocratiam: imo vero adminiſtrationum, quotquot Sapientia humana inſtituerat, formis omnibus diſſimillimam; proprio & ſublimiori titulo Theocratiam, miraculis conſtitutam pariter & conſervatam! quam magnifice illa de republica ſentire oportet, cui Jehova præſidebat, ipſe legum lator, interpres, adminiſtrator, vindex? In hujuſmodi rerum ſtatu Conſilia mere humana

ſequi,

ſequi, & rebus novis ſtudere, quid aliud erat quam Jehovæ omnipotenti diffidere & adverſari? quantæ erat iſthoc dementiæ & impietatis? in Theocratia crimen atrociſſimum, crimen unum inſtar omnium! Quo intolerabilior erat illa *Iſraelitarum* pervicacia pro Judice [a] Regem ſibi præfici poſtulantium, & quidem Eo, cujus ſapientiam, æquitatem, & moderationem etiam inviti recognoverant. Et profecto ea omnia, quæ Propheta adhuc præceptis uſque inculcaverat, Juſtitiæ & Pietatis officia ab eodem Judice conſtituto cumulatiſſime adimpleta vidimus: ita ut poſteris exempli omni virtutum genere memorabilis lumen prætulerit, commonſtrans admonenſque quales eos eſſe oporteat qui Dei vices gerant.

Haud inauſpicato rempublicam capeſſebat qui Magiſtratus iniit primitias Deo conſecrabat. Theocratiæ Miniſter pius illud ſibi ante omnia præſtituit, ut ſcilicet Religionis corruptæ [b] reformationem aggrederetur, opus profecto arduum juxta ac laudabile: quo nihil habet autoritas ſuprema melius quod velit, nihil majus quod efficere poſſit.

Idololatriam extirpare, religionis veræ ſenſum ingenerare, — pervicaces animos conſilio regere, populumque rebellem & alienatum numini irato

a 8. 5. b 7. 3.

con-

conciliare —— hæ illi erant Politiæ artes, i triumphi! Quanquam neque illi [a] bellicæ uoque virtutis atque victoriarum gloriam deuiſſe vidimus; qualem tamen non armata pepeit manus, ſed inermis, & ad cœlum non ſine precibus efficaciſſimis elata, & exercituum potentem Jehovam ipſum expugnans, & in ſocietatem prælii trahens adjutorem.

Adeſte animis, *Iſraelitæ*, quoties *Ebenezeram* cceditis, toties Liberatoris veſtri laudes recognoſcite. Quid enim aliud admonet [b] Lapis ille, Deo Adjutori ſacer, quam ut, excuſſa omni idolatriæ ſervitute & opprobrio, Jehovæ veſtri cultui primitus inſtituto vos dedatis, religionis primævæ puritatem tueamini, divina interim ope nice freti, quæ etiam inermes de hoſtibus armatis & victoribus triumphare juſſit. Quantum vero hac in parte *Samuelis* oratio atque auoritas valebat ipſe rei exitus declaravit: [c] *abſtulerunt ergo filii* Iſrael Baalim *atque* Aſtaroth, & *ervierunt Domino ſoli*. Itaque ergo, *Samuele* auſpice & Deo adjutore, rebus bene geſtis & *Philiſtæorum* dominantium jugo excuſſo, in libertatem aliquando ſe aſſeruerunt; & pietatem publicam comes ſecuta eſt felicitas publica. [d] *Et humiliati ſunt Philiſtæi, nec appoſuerunt ultra ut*

a 7. 10. 11. b 12. c 7. 4. d 13, 14.

venirent

venirent in terminos Iſrael: facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſtæos cunctis diebus Samuelis.

Intuemini jam illum in adminiſtrationum publicarum curriculo varia cum laude ſua verſatum, &, quæ in Magiſtratu rite poſtulantur, virtutes in eo maxime eminentes admiremini, Diligentiam & Integritatem. Utriuſque exempla quæritis? En Illius in jure dicendo providentiam & diſciplinam novam plane & ſingularem; ut nempe populo univerſo juſtitia plenius atque commodius adminiſtrari poſſet, ab eo jam primum autore annuos circuitus inſtitutos! [a] *Et ibat per ſingulos annos circuitus* Bethelem, Gilgalam, & Miſpam, *& judicabat* Iſraelem *in ſupradictis locis: revertebaturque in Ramatha, ibi enim erat domus ejus; & ibi judicabat* Iſraelem: *& ædificabat etiam ibi altare Domino.* Non ille profecto ad luxuriem aut petulantiam imperio abutebatur, aut, quod a Regibus principibuſque viris orientalibus plerunque fieri vidimus, regiæ cujuſdam inacceſſæ cancellis incluſus otio indulgebat ſumptuoſo ſimul & inglorio: ſed populo prodeſſe & adminiſtrationum ſuarum beneficia latius diſſeminare cupiens, Judex cives judicandos ultro acceſſit; ea præcipue loca inviſens quæ, commodis diſſita intervallis, hominum religionis ergo ut plurimum confluentium frequentia max-

[a] 7. 16, 17.

ime

ime celebrabantur. Præclarum ſane bonitatis & diligentiæ exemplum! eo homine dignum, qui ſummam, qua pollet, autoritatem ita adminiſtrandam cenſet ut meminerit uſque ſe quidem eſſe non modo Dei vicarium, ſed etiam populi miniſtrum: quorum alterum Magiſtratui in munere exequendo conſtantiam & fortitudinem, alterum diligentiam & integritatem ingenerare debet. Erat adeo illi religionis conſervandæ cura prima, huic proxima juſtitiæ: altera ad Dei gloriam, altera ad Civium utilitates accommodata.

Sentio equidem quam difficile ſit *Samuelem*, quatenus Magiſtratum, ita laudare ut non ad eundem quatenus Prophetam tranſlata ſimul laus referatur, virtuteſque tanquam ſpecie diverſas præciſione metaphyſica ſegregare, quæ in eodem homine conjunctæ reperiuntur. Ut ut autem hæc fuerint, Illum certe utroque hoc nomine ſibi abunde commendatum *Iſraelitæ* amplexabantur: & profecto temporum ſuperiorum memoriam qui recolebant, &, quæ illis adhæreſcebat inuſta, infamiæ notam, næ illi novam & uberiorem gratulationum materiem experiundo ſentiebant: erat profecto quod illi rerum ſorte in melius mutata impenſius gauderent, reique publicæ fortunas laudarent, quæ, poſt tot epidemicæ pravitatis tum etiam infelicitatis exem-

pla, aliquando Rectorem adepta fuerit omni virtutum tum propheticarum tum etiam imperatoriarum laude cumulatum; ita ut nullæ jam supereſſent cauſæ cur alias inſuper viciſſitudines expeterent.

Quid vero hoc rei eſt? quæ ſubita hæc trepidatio, & ad [a] *Samuelis* domum frequens concurſus? quid illa querelarum murmuratio, quid iſtæ voces ſeditioſæ meditantur? quid iſthoc eſt libidinis & proterviæ? Scilicet Regem ſibi præfici poſtulat populus tumultuans, *Samuelis* & Theocratiæ pertæſus, beneficiorum immemor, & felicitatis impatiens ſuæ. In his rerum aſperitatibus animi eximia quædam Magnitudo requirebatur, quæ cum hominum iſtiuſmodi faſtidioſorum & contumacium ingeniis conflictari poſſet. Et profecto (quod & jam ſupra memoravimus) ejuſdem, & Magiſtratus & Parentis, virtus in diſcrimen adducebatur anceps plane & malignum: cui quidem ſuſtinendo & ſuperando quis ſufficeret, niſi ille, quem Theocratiæ ſenſus plenior animaverat, affectibus, quà fieri poterat, privatis vacantem, reipublicæ timentem, ſui ſecurum? Deo unice confidere, ad illum autorem [b] conſilia ſua omnia & ſpes referre, iſthoc erat pietatis & ſapientiæ & fortitudinis: hæc illum uſque refecit atque ſuſtentavit conſolatio

a 8. 4, 5. b 21. 10, 11 &c.

malis

malis acerbiſſimis invictum, docuitque fortunæ injuriis quaſi altiorem inſurgere. Utcunque de Magiſtratu actum fuerit, at meminit adhuc eſſe ſe Prophetam, & adhuc dignitatem ſe tueri humana ſorte majorem. Ea mente Jehovæ ſui cum populo de hoc impietatis & contumaciæ exemplo noviſſimo expoſtulantis cauſam agit vehemens & flexanimus Orator, increpans, redarguens, obteſtans, interminans, adhortans: atque idem viciſſim pro Rege ſimul populoque pervicaci apud Jehovam haud vana prece ſupplicans perorat: illud certe ad extremum effecit, ut quos non amplius autoritate flectere & moderari poterat, eos ſaltem bonitate vinceret, & invitos demereretur.

Video jam rurſus in eam, quam Textûs prælecti verba exhibent, hiſtoriæ partem me incidiſſe, de qua pauca quædam reſtant in tranſcurſu notanda. Quis autem pro merito ſatis admirari poteſt hoc Judicis exauctorati ſingulare exemplum, &, quam ſola parit tueturque integritatis conſcientia, fiduciam prædicare, fiduciam hominis innocentiſſimi accuſationem provocantis ſimul & contemnentis! Ecce, inquit, me, jam privatum & imperii adminiſtrati rationes redditurum: *teſtificamini contra me coram Jehova, & coram inaugurato rege.* Et quidem facta eſt hæc provocatio tempore, uti vidèbatur, alieniſſimo.

Cum

Cum enim victor populus rebus novis & Rege gauderet ſuo, in omnem triumphi laſciviam effuſus, jam tum *Samuel* adeo non αμνησιαν petit, ut ſeſe in judicium ultro vocandum ſiſteret. Non ſane deerant filii *Belial*; qui non ita pridem Regi [a] obtrectabant novo, quidni iidem, quo aut apud aulicos aut forte populum gratiam cumulatius inirent, *Samueli* obtrectatores adverſarentur, dejecto nunc & proſtrato ſeni? At vero tantum abfuit ut criminatio illi objiceretur ulla, ut ne filiorum quidem degenerum ulla unquam mentio inciderit. Quo glorioſius erat illud a populo incredibiliter conſentiente innocentiæ teſtimonium publice perhibitum.

Videte porro non minorem Modeſtiæ, quam integritatis, laudem: non ille, virtutum ſuarum præco, uberrimos, qui ſe duce & auſpice ad rempublicam redundarunt, fructus recenſet: non ſane in hac parte illius triumphat atque exultat oratio: adeo nihil gloriæ, quæ quidem illi debetur maxima, ſibi arrogat, ut nihil præter defenſionem meditetur: non ea quæ fecerat bona, ſed quæ non fecerat mala commemorat. Nempe ſatis habuit innocentiam profiteri, & juſtitiæ famam vindicare: vitæ bene actæ conſcientia ſe conſolatus, quod neminem aut aſtu circumſcripſerat; aut vi oppreſſerat — quod ab

[a] 10. 27.

omni

omni injuria abſtinuerat ſive invitis ſive volentibus illata: — quod illa præſertim a ſe maxime eſſet aliena, illa, quæ nonnunquam viros etiam prudentes in devium trahit, δωροφαγια, & plerunque, benignitatis nomine ſimulato, Juſtitiam penitus corrumpit. Hoc demum judicio publico effecit, ut omnes agnoſcerent quam longe a filiorum ſuorum crimine Pater hic ſanctiſſimus abhorreret, quos hiſtoria ſacra ut infames notat, *qui non ambulabant in viis ejus, ſed ſectabantur lucrum, & accipientes munus pervertebant juſtitiam.* c. 8. 3.

Videte denique quam non ſine cauſa hujuſmodi provocatio ſive obteſtatio publice fuerit prolata. Imprimis ut populo querulo & contumaci omnis impoſterum & querela & criminationis anſa præcideretur: deinde ut pulcherrimum hoc innocentiæ teſtimonium in ipſorum opprobrium retorqueri poſſet; & pervicaciæ popularis tanta immanitas redargueretur, cum non modo *Samuelis*, viri de ſe optime meriti, verum etiam ipſius Jehovæ autoritatem excuſſiſſe viderentur: Poſtremo, ut Regi inaugurato juſtitiæ & moderationis exemplum ſaluberrimum præferret, cum oſtenderet decurſi Magiſtratûs rationem eſſe aliquando reddendam: vehemens ſane in utramque partem, ſive admonitionis, ſive exprobrationis documentum!

At vero nefas foret illas, quæ in *Samuele* noſtro maxime eminebant, virtutes præterire: nempe erga Deum pietatem ſinceram: & miram erga ſuos benignitatem, & ſollicitudinem plane paternam, non pertinacia aut adverſationibus fractam, aut imminutam, ſed in omni re expromptam, & publicis uſque commodis invigilantem. Ecce enim exauctoratus ille contemptus & afflictus ſenex quid agit! quid meditatur! non querelas, non criminationes regerit; ſed expoſtulationem, qua nihil gravius ſanctiuſve afferri poterat, felicitatis voto claudit, quam vehementer pio, quam familiariter benigno! *abſit autem a me hoc peccatum in Dominum ut ceſſem orare pro vobis: imo vero inſtituam vos in via optima & rectiſſima.* c. 12. 23. "Valeant, inquit, "valeant cives mei: imo quidem fuerint illi con- "tumaces, fuerint ingrati: at ſint incolumes, ſint "florentes, ſint beati! tranquilla republica, ſine "me Rectore, ſed per me tamen, perfruantur! "valeat patria chariſſima mihi, quoque modo "merita de me erit: Ego quidem magiſtratu "exutus cedo atque abeo: non jam amplius "auctoritate Judex; at conſilio Propheta ſemper "adero: non ego unquam aut mihi, aut Illis "deero: qua apud Jehovam ego gratia valeo "Orator ſupplicans, eam certe omnem utilitati- "bus publicis impendam; prudentiæ politicæ

"atque

« atque pietatis documenta, &, quæcunque ad « reipublicæ felicitatem ſpectant, ea omnia mo- « nitor fidelis & providus auſpice commonſtrabo. Et mihi quidem hiſtoriæ univerſæ ſeriem recolenti *Samuelis* virtus, quæ quidem in omni parte erat eximia, in hoc certamine extremo expreſſior multo atque clarior emicuiſſe videtur. Non Illum antea Judicem & Imperatorem uberior, quam nunc privatum & judicio abſolutum, gloria comitabatur. Imo vero & adhuc ille Propheta imperabat divini juris ſingulari prærogativa gaudens: & ita omnium animis ſacroſancti nominis reverentia dominabatur, ut, quod alibi comperimus, haud fruſtra dictum videatur: *Propheta* Samuel *judicabat* Iſraelem *omnibus diebus vitæ ſuæ.* c. 7. 15.

Poſtremo, ut ſummatim repetantur omnia, tam longe lateque patebat *Samuelis* noſtri virtus, in rebus tum Eccleſiaſticis tum Civilibus adminiſtrandis, imo quidem in utriſque tanquam ab interitu in vitam ſplendoremque vindicandis feliciter verſata, ut inter omnia, quæ paſſim laudantur, exempla, nihil fere illo melius præclariuſve extitiſſe cenſeam. Erat ipſa naſcendi conditio quam ſingularis! vita vero omnis, tam decurſu ipſo, quam exordio, a pueritia ad ſenectutem, quam memorabilis! vita plena documentis, plena itidem miraculis: nuſquam laude vacua: ubique

bique demum Jehovam non fruſtra præſentem teſtata! Illum ego dum video, in *Iſraeliticæ* tum Eccleſiæ tum Reipublicæ temporibus iniquiſſimis, Prophetam divinitus excitatum, quid aliud video, quam in regione quadam boreali, tenebrarum inter & frigoris horrores, recens quoddam e cœlo lumen ſolis obortum, quam amabile, quam glorioſum, quam venerabile? Populi Judicem conſtitutum dum video ſimul omnia video quæ a gente qualibet ambitioſiſſima efflagitari poſſunt, vel ad amplificanda ſtabilitatis ſuæ præſidia vel etiam felicitatis ornamenta. Video ejuſdem ad Tribunalia, ad Aras præeuntis veſtigia lucido quodam tramite ſignata: in Judiciis integritatem fidemque quam incorruptam! in precibus, in conſiliis, in orationibus, apud Deum hominesque qualem vehementiam, auctoritatem, facundiam! omnia ingenio mortali majora. Quid multis? video eundem Reipublicæ ruentis ſtatorem; Religionis corruptæ Reformatorem; omni in re Deo placere, populo prodeſſe ſtudentem, pietatis ſimul & juſtitiæ Præceptorem, fautorem, vindicem, diſciplina, exemplo, auctoritate; omnibus vitæ officiis, tam publicis quam privatis, pari cum laude perfunctum; ſine arrogantia Magnanimum, ſine puſillanimitate moderatum, ſine fuco pium, ſine duritate ſeverum, ſine mollitie manſuetum atque clementum, ſine pertinacia

nacia conſtantem & propoſiti tenacem, ad extremum uſque gentis ingratæ amantiſſimum, injuriarum denique, patiendo & benefaciendo, Victorem.

Hunc ergo virum, de ſe optime meritum, non amabunt? non admirabuntur *Iſraelitæ?* non omni ſtudio & veneratione proſequendum exiſtimabunt? Imo ſane, quamdiu hominum animis inſederit aliquis aut bonitatis ſenſus, aut pietatis & numinis divini reverentia, tamdiu *Samuelis* nomen vigebit per omnem ſæculorum memoriam, ad quæ virtutum fructus vel fama pervenerit, præconiis ampliſſimis celebrandum. Et profecto, quam magnifice de illo ſenſerint *Iſraelitæ*, cætera ſi deeſſent argumenta, teſtantur ii, qui mortuo honores decernuntur. Nempe funere publico elatum laude decorant veraciſſima: parentalia illi honorifica perſolvuntur: ſupremo hoc teſtimonio Patriæ Pater recognoſcitur: Reſpublica, tanquam ſpiritu vitali ſuo deſtituta, ſupremum ingemit; & ad tumulum accedit, præconii inſtar pulcherrimi, commune populi collacrymantis deſiderium. *Mortuus eſt autem Samuel: & congregatus eſt univerſus Iſrael & planxerunt eum, & ſepelierunt eum in domo ſua in Ramatha.* c. 25. 1.

De *Samuelis*, quatenus Prophetæ atque Judicis *Iſraelitici*, laudibus hæc habui quæ dicerem:

quæ vero operis inſtituti pars tertia reſtat, eam liceat in præſens intactam relinquere, alio deinceps tempore commodius atque plenius abſolvendam. Interea e jam dictis, quæ nobis maxime uſui ſint, documenta quædam ſunt elicienda: atque adeo ex illa duplici, quam *Samuel* noſter gerebat, perſona applicatio jam duplex deducitur

1 Ad verbi divini Miniſtros:

2 Ad Magiſtratum Civilem:

Sentio equidem Exempla etiam [a] Piorum non eſſe feſtinanter & indiſcriminatim in imitationem trahenda ſed cautione & quidem non indiligenti adhibita: in fraudem enim non raro inducit virtutis alienæ perverſa æmulatio, nec ſine periculo peragi ſolet ille ab extraordinariis ad ordinaria tranſcurſus. Veruntamen, ubi certa quædam analogia, ſive aliqua in parte convenientiæ ratio communis intercedit, ibi etiam hæc Prophetarum documenta ad rem noſtram pertinere ſentio, uſibuſque noſtris, circumſtantiarum delectu quodam ſolerti & diſcrimine habito, apte accommodari poſſe: ita ut expediat non patientiæ modo, ſed virtutum etiam aliarum ὑποδειγμα λαβειν τες Προφητας, οἱ εν ονοματι τȣ Κυριȣ ελαλησαν.

a v. *Sanderſon* Prælect. de Piorum Exempl.

Memi-

Meminerint ergo Sacerdotes Chriſtiani illius, quod cum *Samuele* noſtro commune habent, officii Sacerdotalis: neque quidquam eorum, quotquot ordinaria ſunt, eſſe a ſe alienum putent. Sive enim populus rudis & imperitus præceptionibus & diſciplinis ſit informandus — ſive errores inveterati ſint corrigendi — ſive pervicacia redarguenda — ſive vacillantium fiducia cohortationibus reſuſcitanda — ſive demum peccantibus pœnitentiæ ſenſus incutiendus — atque vindicis Jehovæ terroribus admotis nequitia popularis ſit reprimenda & caſtiganda — ſive poſtremo voluntas divina qualibet in cauſa quoquo modo ſit declaranda, — *Samuelis* hiſtoriam recolentes vident, quod in omni parte ſequantur, exemplar perfectiſſimum: atque adeo re ipſa præſtent, quæ, ſingula præceptis diſcreta propriis, *Timotheo* ſuo *Paulus* mandavit, κηρυξον τον λογον, επιςηθι ευκαιρως, ακαιρως, ελεγξον, επιτιμησον, παρακαλεσον, εν πασῃ μακροθυμια και διδαχῃ. 2 *Tim.* 4. 2.

Meminerint ſe itidem eſſe Jehovæ ejuſdem Miniſtros, & verbi divini internuntios atque interpretes: ſe itidem eſſe Prophetas, haud ſane θεοπνευςους; haud immediate a Deo ipſo excitatos, & ſpeciali quadam juris prærogativa extra ordinem deſignatos: ſed mediate, &, jure quodam ordinario, juxta voluntatis divinæ & politiæ eccle-

ecclesiasticæ præscriptum, evocatos, & constitutos: hoc certe quicquid est honoris atque sanctitatis sibi arrogat nemo, nisi qui fuerit aliquo modo a Deo vocatus. Est adeo certorum hominum designatio, est vocatio, sed ordinaria, sed sine miraculis: ita tamen manifesta, auctoritatis publicæ testimonio confirmata, ut ab universo *Israele* nostro, a *Dane* usque ad *Beersheham*, intelligi & recognosci debeat. Videant interim quid officii illius, quod susceperint, sanctissimi ratio ipsa submonet; ποταπὸς δεῖ εἶναι ἐν πάσαις ἁγίαις ἀναστροφαῖς, ut nomini tam reverendo ipsorum vita moresque respondeant; ut omni, qua pollent, ope pietatis promovendæ curam gerant, præceptis & exemplo, & auctoritate, foveant, commendent, tueantur: atque adeo, *Samuelem* nostrum secuti, in re qualibet ad Deum Auctorem consilia sua referant omnia, ad illum studiorum finem supremum respiciant, populi salutem, Dei gloriam.

Postremo quid aliud dignitatis suæ conscientia submonet quam ut mortali sorte majores attollant animos? nihil simulent aut dissimulent, nihil falsi audeant, nihil veri non audeant pronuntiare, qui Jehovæ se Legatos profitentur, qui dogmata prædicant non sua, sed τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. Hæc præcipue cogitatio munia sacra administrantibus fortitudinem & constantiam tueatur,

tum

tum a timiditatis cujuſpiam ſenſu, tum etiam ab omni adulationis & obſequii ſervilis ſpecie abhorrentem; ita demum *Samuelis* noſtri innocentiam integritatem fidemque moribus ſuis imitari ſtudeant, ut aliquatenus etiam ejuſdem in concionando δεινοτητα & παῤῥησιαν non fruſtra exhibere poſſint.

Recolere juvat & aliud quiddam memorabile, quod a *Samuele* noſtro & quidem in rerum maligno diſcrimine præſtitum admiramur, ad uſus certe noſtros in cauſis ſimilibus non fruſtra tranſferendum; nempe lenitatis & moderationis documentum ſingulare. Quid enim? quid? ſi forte in republica noſtra, prout olim in Iſraelitica *Saulus*, principes viri a recto deſciverint, a Deo Deique Miniſtris pariter alieni; quid? ſi populus, pervicax & ingratus, & ſui ſimul & Dei immemor, monitionum impatiens, monitoribus aſper, in omnem pravitatis libidinem effuſus abierit; quid hujuſmodi in cauſa Dei Miniſtros facere oportet? — imo videant potiſſimum quid *Samuel* noſter. Non Ille contemptus indignari, — non injuriis laceſſitus contra adverſari, odiiſque contendere, — non repulſus ſeditiones concitare — ſed, quod erat veræ magnanimitatis, omnia condonare, ingratos beneficiis vincere, pervicaces obſequio flectere, etiam invitis omni ope prodeſſe, precibus, auctoritate, conſiliis adjuvare —

hæ

hæ Illi adminiſtrationum politicarum erant artes, hi patientiæ & lenitatis invictæ triumphi! —— Quonam interim animo Nos hæc intueri oportet? eo nempe, ut tam præclaro virtutum mitiſſimarum exemplo admoniti Chriſtiani & Civis & præcipue Sacerdotis officia deſcripta & præcepta ipſi ad rem noſtram transferamus, conſimili in cauſa conſimiliter itidem præſtanda; ita ut, ſi cæteri omnes deliquerint, auctoritatis tam divinæ quam humanæ contemptores, at ipſi nobis & Deo & reipublicæ deeſſe nolimus: quin potius hanc *Samuelis* profeſſionem in rerum conſimilium aſperitatibus ſibi propoſitam quiſque adhibeat: *abſit autem a me hoc peccatum in Dominum ut ceſſem orare pro vobis: imo vero inſtituam vos in via optima & rectiſſima.*

Alterum, quod reſtat e ſuperius dictis deducendum, ad Magiſtratum Civilem pertinet, documentum: quod quidem ſaluberrimum exhibet *Samuelis* hiſtoria. Illam intuens Magiſtratus intelligat autoritas ſibi quam late pateat, — quos in uſus inſtituta, — & qualem demum eum eſſe oportet, qui Dei vices gerat. In adminiſtrationum publicarum decurſu ecquid ille prius potiuſve ſequitur, quam, quod hic noſter exemplo memorabili commonſtravit, Religionis ſive reformandæ ſive defendendæ curam? iiſdem ille ſub auſpiciis autoritatem Judex adminiſtret, iiſdem

dem ſub ſignis Imperator militet, omni itidem in parte faventem ſibi experturus Deum: & re ipſa ſentiat felicitatem reipublicæ cum pietate publica eſſe conjunctam; ita demum in provincia ſua, tanquam in Theocratia, verſetur, Deum uſque ſibi præſentem exhibens conſiliorum omnium auſpicem, adjutorem, vindicem.

Religioni proxima accedat *Juſtitiæ* cura, cujus in Judice præcipua laus ſpectatur: quam quidem *Samueli* noſtro tantam tribui vidimus, quantam antea nemini. Ille enim populo jamdiu rudi & deſtituto Judicia publica reſtituit, politiæ ſimul eccleſiaſticæ & civilis arbiter & moderator; imo &, novi exempli autor, pro jure dicendo annuos circuitus primus inſtituit, ut per *Iſraelem* univerſum Juſtitiæ, quaſi itinerantis, fructus diſſeminarentur. Et hac quidem in parte videre videor *Britanniam* noſtram haud fruſtra ſibi plaudere, &, quæ gentes exteræ omnes jure invideant, Comitiorum juridicorum privilegia conſimilia laudare; & politia demum hac ſua impendio magis gaudere, quam *Samuelis* exemplo & autoritate commendatam acceperit.

Meminerit porro Magiſtratus oportere ſe non non autoritate ſolum, ſed etiam exemplo præire, &, quam aliis pro imperio præcipit, juſtitiæ obſervantiam moribus ſuis religioſius expreſſam tueri. Judex quilibet ſive *dominator hominum*

juſtus

juſtus eſto, dominans in timore Dei. Quid in hac parte a *Samuele* noſtro præſtitum fuerit, ut cætera taceam argumenta, abunde commonſtrat illa, quam aliquatenus explicandam ſuſcepimus, magnifica obteſtatio, illa apud Judices ſuos provocatio confidentiſſima, ſive innocentiæ & integritatis inviolatæ vox irrefragabilis: *quem Ego fraudaverim, aut quem concuſſerim? aut a cujus manu acceperim redemptionis pretium, ut abderem oculos meos propter illud? teſtificamini contra me coram Jehova, & coram uncto ejus.* — Adeſte animis, Principes, audite quotquot eſtis Judices ὑπευθυνοι, quotus quiſque veſtrûm, pectori manum incorruptam admovens, conſimili provocatione facta, adminiſtrationum ſuarum examen & cenſuram ultro arceſſere audeat & ſubire, ſuffragiiſque plane invitis dominari?

Sentio equidem quam difficile ſit imperio non abuti, non tam per injurias & inſolentiam, prout in Tyrannide, ſed quod in Civitatibus liberis & bene moratis fieri ſolet, per nimiam lenitatem & manſuetudinem. At vereor ne hac in parte ipſi nobis ultro fraudem faciamus, & rei inhoneſtæ nomen honeſtum prætendamus. Scilicet miram quandam Magiſtratûs alicujus liberalitatem & moderationem prædicari audio! at vero, rem ipſam penitus explorans, quid aliud video quam δωροφαγιαν quandam multiformem, partium ſtudia,

dia, ſimulationes, diſſimulationes, totidem demum Juſtitiæ corruptelas, quot extant ſpecioſæ illius benignitatis monumenta.

Nequis autem aut ſibi aut aliis nimium confidat, en humanæ ſive imbecillitatis ſive pervicaciæ documentum ſingulare, *Samuelis* noſtri filios degeneres! Quis non facile crediderit Parentem hunc ſapientiſſimum, quos ſecum una in imperii ſocietatem quandam admiſerat, eoſdem idoneos artibus omnibus inſtruxiſſe ad rempublicam capeſſendam & præceptis & cohortationibus & exemplo edoctos probe & formatos? Sed profecto Magiſtratus indicat virum, nec ſibi antea, nec aliis ſatis cognitum. Illi ſcilicet a virtutibus paternis deſciverunt: *non ambulabant in viis ejus, ſed ſectabantur lucrum, pervertentes judicium.* Documento hujuſmodi admonitus & ſibi & aliis caveat Magiſtratus, videatque qualium præcipue hominum vicaria ope & miniſterio utatur, ne aliena forte crimina ad ſe ipſum aliquando redundare ſentiat.

Meminerit poſtremo Dei miniſtrum eſſe ſe, atque adeo in adminiſtrationum ſuſceptione atque decurſu ita ſe gerat, ut coram hominibus & Deo judice rationes aliquando redditurus. Beatus Ille, qui, teſtimonio etiam ſuo ita abſolutus, diſcedit, ut exinde judicia divina minus reformidet! Illum adeo eadem illa, quæ in re-

bus dubiis adverſiſque *Samuelem* noſtrum, recreet uſque & conſoletur innocentiæ & fidei incorruptæ conſcientia, ut, quicunque rempublicam caſus conſecuturus ſit, aliquod extet integritatis probatæ teſtimonium; ita ut provocationi, qualem hic a *Samuele* non fruſtra prolatam admiramur, conſimili in cauſa factæ reſpondeat aliquando illud ευλογιον e Tribunali ſupremo pronuntiatum, ευ! δουλε αγαθε και πιστε, επ' ολιγων ης πιστος· επι πολλων σε καταστησω. εισελθε εις την χαραν του Κυριου σου.

1 Reg. XIX. 20.

Et videbant cœtum Prophetarum vaticinantium, & Samuel ſtabat illis præfectus.

JAM aliquot retro annis, in Juventutis Academicæ conventu frequentiſſimo, hoc ipſo die ſolenni, *Samuelis* hiſtoriam explicandam atque illuſtrandam ſuſceperam, eo conſilio, ut, quæcunque in vitæ tam memorabilis decurſu maxime eminebant, eas potiſſimum virtutes commonſtrarem, & inde, nobis uſui quæ eſſent, documenta quædam excerperem.

Erat adeo mihi *Samuel* triplici potiſſimum nomine laudandus, quatenus triplicem, & quidem publicam, perſonam ſuſtinebat: utpote

1. Propheta —
2. Populi Iſraelitici Judex —
3. Scholarum Propheticarum Fundator & Rector.

Unde

Unde deducitur applicatio triplex ad

1. Verbi divini Miniſtros —
2. Magiſtratum Civilem —
3. Prophetarum filios, ſive Juventutem Academicam.

Capita priora duo jam olim explicata dedi & abſoluta: ad id quod ſupereſt inſtituti exequendum jam accingor. Reſtat itaque *Samuel* mihi laudandus, quatenus Scholarum Propheticarum Fundator atque Rector: atque inde, quæ nobis maxime uſui ſint, documenta quædam elicienda.

Sentio equidem in materiem me incidiſſe, originis certe & inveſtigationis cujuſdam reconditæ, & vetuſtate ipſa quodammodo obſoletam: in qua utique multum conjecturis permittitur, & aliquando pro veris veriſimilia, & incerta pro certis captantur. Neque enim in hac parte *Rabbinicos* auctores ſequi libet, quippe de inſtitutionibus *Hebræis* fere omnibus pleraque non minus temere quam magnifice fabulari ſolitos. Et profecto quiſquis *Judæorum* Archæologiam & obſcuriora illa poſt *Joſhuam* ſub Judicibus *Iſraeliticis* tempora ad examen revocat, adeo nihil ſtabile nihil certum reperiet, ut potius in illa Poetarum *Græcorum* fabuloſa ſæcula ſibi videatur inci-

incidiſſe, ubi pro rerum geſtarum monumentis (quæ aut [a] nulla prorſus aut certe rara admodum ſupererant) futilia opinionum commenta & vana quædam ſomniorum figmenta *impune* jactitabantur. — Ut igitur miſſa hæc faciamus, nobis eam unice, quam Hiſtoria ſacra quaſi in regionis incognitæ ſolitudine atque vaſtitate quadam errantibus præfert, lucem ſequi libet; atque illius ductu per obſcura temporum per ſecreta locorum in latebris pariter ac hominum celebritate Prophetarum longe lateque pervagata veſtigia perſcrutari: ita ut Scholarum Propheticarum origines, incrementa, diſciplinæ &, qui inde ad Eccleſiam & rempublicam redundarunt, fructus expromi poſſint. Intuemini adeo mecum Domum hanc antiquam & reverendam, temporis injuria jamdiu obſcuratam & deformatam ipſis tamen in ruinis magnificum quiddam & venerabile præ ſe ferentem. Eia igitur, quotquot eſtis antiquitatum ſacrarum ſtudioſi, inveſtigate has reliquias, e rubigine nitorem elicite, obruta & ſepulta eruite, erigite, priſtina operum lineamenta

a Ante belli *Trojani* tempora nihil penitus exploratum certumque ſe comperiſſe fatetur *Diodor. Sicul.* —— των δε χρονων τουτων περιειλημενων εν ταυτη τη πραγματεια τους μεν προ των Τρωικων ου διοριζομεθα βεβαιως, ως το μηδεν παραπηγμα περιειληφεναι περι τουτων πιστευομενον.

b v. *Auguſtin.* de Civitate Dei cap. 18.

deſig-

deſignate: id demum efficite, ut ex ipſis ruinis, e materie ſua priſtina conquiſita denuo & in ordinem congeſta, hæc noſtra, quam molimur, Schola Prophetica ex integro refici, & e ruderibus propriis inſtaurata reſurgere videatur.

Scholarum igitur Propheticarum originem *Samueli* autori & Fundatori tribuere non dubitamus, his potiſſimum rationibus adducti.

1. Non conſtat *ante Samuelis* tempora ullas unquam extitiſſe: nulla certe illarum mentio uſpiam reperitur; imo vero res ipſa loquitur nihil tam præclarum & memorabile fuiſſe inſtitutum; cum nec illius, nec in hoc genere ullarum omnino inſtitutionum, veſtigia extiterint, neque fructus neque beneficiorum memoria ad poſteros pervenerit.

2. Conſtat de facto fuiſſe illas *Samuelis* tempore ut plurimum celebratas: id ipſum alibi paſſim hiſtoria ſacra teſtatur; & quidem hæc ipſa, quæ explicanda ſuſcepi, verba diſerte affirmant; cùm *Samuelem* ipſum exhibeant Prophetarum ſuorum vaticinantium choro præfectum.

3. Accedunt cauſæ quædem ſpeciales, & quidem graviſſimæ, ex ipſo rerum in pejus uſque ruentium ſtatu ductæ, quibus ille, Judex idem & Propheta, ad hæc Collegia inſtituenda admoneri impellique & potuit & debuit.

4. Poſtre-

4. Poſtremo conſtat de facto temporibus proxme inſequentibus Collegia hæc continuo aucta & per populum *Iſraeliticum* longe lateque propagata viguiſſe.

Ut autem hæc ſingula a vobis accuratius intelligi poſſint temporum præteritorum memoriam mecum pauliſper recolite.

A Joſhuæ interitu effluxerant jam anni pluſquam trecenti. Status interim tum Eccleſiæ tum reipublicæ qualis erat ſi quæras, en! quod plane indignabundus mireris, ſæculo proxime inſequenti populus pervicax, ſui immemor & diſſimilis, imo & felicitatis pertæſus ſuæ, a Jehova ſuo prorſus deſciverat in idololatriam fædiſſimam dilapſus. — Vah! tanta vecordia *Iſraelitis* innata ut eſſet, ut Theocratiæ media in luce Deum imperantem non agnoſcerent! ut, quem toties fuerant experti Legiſlatorem, Vindicem, Liberatorem, toties miraculorum, quorum adhuc impreſſa quaquaverſum veſtigia extabant, teſtimonio plane tremendo præſentem, eum diligere, revereri, adorare dediſcerent! —— imo etiam ut ſedulo contemnerent, & defectione facta rebelles in aliorum obſequia ſeſe dederent, Deoſque (proh pudor!) colerent alienos, Idolorum & Idololatrarum ſervi degeneres? — hoccine credibile eſt aut memorabile? — nihilne animos

animos movit illa [a] Legiſlatoris moribundi, cœlum terramque obteſtantis flexanima oratio? — Nihilne *porro* [b] *Joſhuæ* Liberatoris, itidem moribundi, admonitio mitiſſima? nihilne illa vehemens obteſtatio & prophetica pœnarum denuntiatio? — Nihilne [c] Lapis ille fæderis renovati conſcius teſtis, & exprobrationis monumentum perenne? — Nihilne ſub initia defectionis ad [d] *Bochim* cœlo demiſſus Angelus, admonens, expoſtulans, & Jehovæ irati terrores ita adhibens, ut pœnitentiæ brevis ſenſum incuteret & corda populi reluctantis obdurata aliquantiſper flecteret, oculiſque *invitis* lacrymulas mendaces eliceret?

Quid interim Sacerdotes? quid Levitæ? quos cultus divini Miniſtros Legiſque interpretes publicos & Præcones Jehova conſtituerat? Nihilne illi contra conſilio, aut exemplo, aut auctoritate valuerunt? — Ubi tunc [e] *Phineaſi Eleazaridæ* ille zelus ardens, illa nequitiæ graſſantis ultrix indignatio? At vero in tota illa *Iſraeliticorum* Judicum hiſtoria, a *Phineaſi* illius temporibus uſque ad Pontificatum *Heli Ithamaridæ*, per annos circiter trecentos vix ulla omnino religionis publice celebratæ, imo Sacerdotis officio fungentis ſuo mentio occurrit nulla: nulla iti-

a *Deuteron.* c. 32. b *Joſh.* 23, 24. c C. 44. v. 27.
d Judic. c. 2. 1, 2, 3, 4. e *Num.* 25. 8.

dem

lem Levitæ; niſi [a] illius, qui belli *Benjaminitici* xtitit teterrima cauſa: & Illius porro, qui, ſub adem fere tempora, ſine certo lare victum quæ-ens precarium primo [b] *Michæ Ephraimitæ*, non ine honeſta quadam ſpecie pietatis Idololatræ, leinde [c] *Danitis* victoribus ſacrificum ſe ſtipen-liarium addixerat. —Quid ergo? anne in pecu-io ſuo Jehova regnare deſierat? Anne ille popu-um ſuum indignans deſeruerat, legis divinæ cog-nitione, religionis cultu ſolenni & miniſteriis ſa-erdotalibus deſtitutum? — At certe Jehovam ontinuo præſentem teſtabantur pleraque, divi-nitus immiſſa, tum pœnarum tum etiam bene-ficiorum documenta: certe non illis Legiſlator, on Interpres, non Monitor, non Caſtigator Deus lefuit; verum ipſi ſibi defuerunt, rebus proſ-peris abuſi, & in impietatis omnigenæ libidinem effuſi.

Moſes ſane Legiſlator præceperat ut [d] Pater-familias unuſquiſque præceptoris domeſtici offi-cio apud ſuos fungeretur: *porro etiam*, ne reli-gionis ſenſus animis excideret, cautum erat ut [e] *Iſraelitæ*, undequaque congregati ſeptimo quo-

a *Judic.* c. 19, 20. Quæ quidem hiſtoria utcunque ad calcem libri Judicum rejecta legatur, juxta ordinem Chronologicum inter primas poni debet cum in tempore Phineaſi Eleazaridæ incidiſſe comperiatur v. c. 20. 28. b *Judic.* c. 17. c c. 18. d *Deuteron.* 6. 7. e *Deut.* 31. 11, 12.

que anno, Legem publice prælectam audirent. Videte adeo in rebus divinis tum eruditionis privatæ tum etiam præceptionis publicæ cura quam *ſedulo uſque* fuerit adhibita. — Præterea jam tum in *Shilunte* extabat, illud divinæ artis opus Tabernaculum, ibi Arca Fœderis, & tremenda Dei præſentis ſymbola: extabant ibi inſcripti tabulis divini juris pandectæ, iidem quoque *Iſraelitarum* animis exercitatione continua uſuque inſcribendi. Inſtituta erat inſuper cæremoniarum operoſa moles, qualis certe ipſorum oculos animoſque abunde occupatos ab omni idololatriæ ſpecie revocare potuerat. Aſtabat porro [a] Miniſtrorum ordo, qui non modo ſacra adminiſtrarent, ſed etiam Legis divinæ, tam moralis, quam ceremonialis, tam Civilis, quam Eccleſiaſticæ, præcepta, atque adeo omnigena pietatis & juſtitiæ officia populo conſulenti explicarent.

[b] Quin & illa per regionem univerſam Leviticæ tribûs diſperſio pene dixeram fatalis hiſce uſibus opportune inſerviebat: Deo ita providente, ut homines, curis civilibus minus occupati rerumque ſacrarum ſtudiis toti vacantes, populo rudi & pervicaci juris divini cognitionem facilio rem inculcarent. Inter benedictiones Moſaicas *Deuteron.* c. 33. Leviticæ tribûs hæc præcipua laus memoratur, quæ in legibus divinis rite ex

a *Levitic.* 10. 11. *Deuteron.* 11. 9—33. 10. b *Gen.* 49.

ponendi

onendis verſabatur: *docebunt judicia tua Jaco-*
um, & legem tuam Iſraelem. Et Levitis quidem
anc ad rem plus & otii & facultatis ſuppete-
at: cum enim Tabernaculo aſſiſterent, & cum
Moſe ipſo, & Pontifice, atque adeo Sacerdoti-
us, qui ipſorum miniſterio in re ſacra utebán-
ur, conſuetudinem haberent quotidianam & col-
oquia libera, credibile eſt ab his ita fuiſſe inſti-
utos & edoctos, ut religionis dogmata plenius
& melius explicata, ſacramque in omni genere
iſciplinam cum populo communicare poſſent.

Aliquando ſane ex præſcripto in [a] urbibus ſuis,
quas quidem quadraginta octo ſortiti erant, lare
certo victuque gaudentes degebant: ex quo au-
tem eorum numerus ita excreverat ut intra po-
mœria ſua contineri non poſſent, neque porro
ad alimenta ſufficerent miniſterii proventus, ex
eo longe lateque per regionem omnem [b] commi-
grare, alienis in locis operam locare, & victum
quærere, — familiis honeſtioribus ſe inſinuare, —
&, Capellanorum quos vocant, hodiernorum ri-
tu, quicquid ad religionem pertinebat præcipere
ac adminiſtrare. Et quidem huic ipſorum inſti-
tuto Iſraelitarum ambitioſa quædam pietatis ſpe-
cies favebat; cum Deo ſeſe acceptiores fore cen-
ſerent, ſi Dei miniſtrum in ædibus ſuis, non

a *Numer.* 35. 7. b *Judic.* 17, 7, 11.

hoſpitem modo, ſed etiam [a] ſacrorum adminiſtratorem excepiſſent.

Videte quam fuerint hæc omnia a Deo ſapienter inſtituta! Verum enimvero hanc Sapientiam tantam & autoritatem divinam aut contempſit aut eluſit *Iſraelitarum* vecordia plane incredibilis. Illud certe quod *Moſes* [b] Legiſlator olim præſenſerat, reipſa jam contigiſſe intelligimus: *Jeſhuron* ille temere luxuriabatur, felicitatis impatiens ſuæ, &, inſtar equi ferocientis, proterve recalcitravit, jugoque excuſſo rectorem non agnovit ſuum; ſed in devium protinus effræni curſu tranſiliit. Huc ſpectant ea quæ *Judic.* cap. 2do ſummatim commemorantur: ſcilicet *Joſhua* Liberatore, viriſque illis ſenioribus, qui ſuperſtites opera Dei mirabilia viderant, jam mortuis, ſurrexit nova hominum ætas, qui Jehovam [c] prorſus ignorabant. Jam tum non pedetentim, ſed impetu quodam præcipiti a virtute eſt deſcitum, ad vitia tranſcurſum: illico peccavit *Iſrael*, & Jehovam ſuum deſerens ſerviit Diis alienis, [d] *Baalim* atque *Aſtaroth:* alienigenis præter fas tum ſanguinis tum etiam peccatorum cognatione conjunctus. En! victor populus (proh pudor!) in gentium victarum obſequium ultro ſe tradidit, ſervorum ſervus. Itaque ergo [e] Jehova provoca-

a *Judic.* 13. b *Deuteron.* 32. 15. c *Judic.* 10.
d *Judic.* 2. 10, 11, 12, 13. e 14, 15.

tus

tus viciſſim eos in prædam prædatoribus dedidit. Idem vero, afflictorum & pereuntium miſeritus, pro re nata ſubinde Liberatores aliquot excitavit: ſed quæ erat pervicacia intolerabilis, Liberatorum protinus obliti iterum [a] peccarunt, in idololatriam deteſtabilem relapſi; adeoque iterum peccantes [b] afflixit vindex Jehova. En compendiariam gentis *Iſraeliticæ* hiſtoriam! peccata, clades, pœnitentiam, liberationes! Hæc recolens iterata indolis pravæ exempla facilius in *Sulpicii Severi* ſententiam adducor, & videor mihi minus minuſque mirari ab iſtis hominibus *Meſſiam* ipſum rejectum aliquando & morte multatum, quos neque beneficiorum tantorum ſenſus allicere, neque pœnarum terror coercere, neque Jehovæ præſentis reverentia flectere poterat, aut commovere.

Interea Religionis ſtatum quod attinet quantillum de ea dici poteſt, cujus veſtigia fere nulla agnoſcimus? illud certe pro comperto habemus, ubique morum immanem quandam corruptelam increbuiſſe, atque omnium ordinum homines impietatis cujuſdam Epidemicæ contagionem invaſiſſe; ſcilicet *in illis diebus nullus erat Rector in Iſrael, & quicquid ſibi rectum videbatur, id ex libidine ſua fecit quiſque.* Et hæc quidem, quæ ab Hiſtoriæ ſacro ſcriptore toties [c] iterata reperi-

a 19. b 20, 21. c *Judic.* 17. 6—18. 1—19. 1.

tur,

tur, animadverſio quid aliud loquitur, quam quod omnia in hoc Anarchiæ ſtatu ſuſque deque prorſus tumultuarie agitarentur, atque adeo regimen eccleſiaſticum, perinde ac civile, penitus interciderit; &, cum miniſterio ſacerdotali aut prorſus interrupto aut nefarie depravato religionis quoque & pietatis genuinæ ſenſus omnis aut plane extinctus aut miſere vitiatus jacuerit. Neque aliorſum quam huc reſpexiſſe videtur [a] *Azarias* Propheta (2 *Chron.* c. 15.) cum temporum priſcorum memoriam recenſens ita rerum conditionem deſcribat: viz. "quod populum ſuum, a "quo erat deſertus, viciſſim Jehova deſeruit: "atque adeo erravit Iſrael per multos annos, "Deo vero & Sacerdote docente & cognitione "legis deſtitutus." Huc accedit quoque & *Joſephi* teſtimonium in Archæol. l. 5. c. 2. και συνεβαινεν ηδη την αριστοκρατιαν διεφθαρθαι και τας γερασιας ουκ απεδεικνυσαν ουδ' αρχην ουδεμιαν των πρότερον νενομισμενων.

In hoc reipublicæ & eccleſiæ ſtatu perditiſſimo, inter *totidem* nequitiarum immanitates, ecquis crediderit apud Scholas Prophetarum, (qui quidem tunc temporis erant aut rari admodum aut fere nulli) aut ullam omnino religionis promovendæ diſciplinam fuiſſe inſtitutam aut adminiſ-

a Hanc ſententiam fuſius explicatam argumentis ſatis validis confirmat Vitringa in Synagog. vet. par. 2. c. 6.

tratam?

tratam? Imo vero facile adducor ut credam, omnia omnino indies in pejus ruiſſe: divini cultus curam extitiſſe plane nullam, & ipſum porro officium Sacerdotale a [a] ſacerdotibus, tum principibus tum gregariis, fuiſſe aut neglectum prorſus aut nefarie profanatum; atque adeo, ex aliqua cauſa graviori, a [b] *Phineaſi* poſteris (quibus tamen illius adminiſtrationem ſempiternam fœderata quadam ſanctione confirmatam Jehova addixerat) ad [c] *Ithamaridas* fuiſſe tranſlatum; ab iiſdem demum, ob *Helianorum* peccata, ad *Eleazaridas* viciſſim poſtliminii quodam jure revocandum.

Ad illa jam tempora devenimus in quæ *Samuelis* noſtri ætas incidit: turbulenta quidem illa & calamitoſa, imo & adhuc longo *Philiſtæorum* dominatu infamia. Scilicet, *Samſone* jam

a Credibile eſt extitiſſe atrocem Sacerdotum impietatem vel negligentiam, eamque ob cauſam Pontificatum ab *Eleazaridis* ad *Ithamaridas* fuiſſe tranſlatum, quod colligi poteſt e 1 *Sam.* c. 2. 30. b *Numer.* c. 25. 13, 14.

c De hac re ita *Joſeph.* in Archæol. l. 5. c. 11. — Ηρξε δε πρωτος Ηλει Ιθαμαρε τε ετερε των Ααρων@ ων οικιας· η γαρ Ελεαζαρε οικια το πρωτον ιερατο, παις παρα πατρος επιδεχομενος την τιμην, εκεινος τε Φινεεση τω παιδι αυτε παραδιδωσι· μεθ' ον Αβιεζερης ος ην αυτε την τιμην παραλαβων παιδι αυτε Βυκι τεθνηκα αυτος αυτην καταλειπει αυτω· παρ' ε διεδεξατο Οζις ος ην· μεθ' ον Ηλει εσχε την ιερωσυνην· εφ' ε νυν ην ο λογος και το γενος το απ' εκεινε μεχρι των κατα την Σολομωνος βασιλειαν καιρων· τοτε δε οι Ελεαζαρε παλιν αυτην απελαβον. — Sed confer itidem 1. *Chron.* c. 6. 4, 5, 6, 7. ibi memorantur *Abiſhuc*, *Buchi*, *Uzzi*, *Zarahia*, *Maraioth*.

mortuo,

mortuo, ad principatum in Eccleſia ſimul & republica, Deo auſpice, evocatur *Heli Ithamaridum* primus, qui Pontificatum adminiſtravit; eo certe conſilio ad illum officium deſignatus, ut res lapſas perditaſque in integrum reſtitueret, divini juris notitiam, cultus inſtituti formam ordinemque præſcriptum revocaret, & pietatis porro primævæ ſpiritum languentem & pene intermortuum reſuſcitaret. Verum, quantum quantum ab illo Pontifice in Dei gloriam ætate jam florente & firmata fuerit effectum, illud certe omne filii ipſius degeneres, quorum in ſacris adminiſtrandis ope vicaria utebatur ſenex jam [a] imbecillis & emeritus, nequitia multiformi contaminarunt: [b] *erat enim ipſorum peccatum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines a ſacrificio Domini.* Et hanc Sacerdotum impietatem publica ſecuta eſt impietas.

Viderat hæc omnia *Samuel* noſter, animi adhuc incorrupti puer, Tabernaculi jam votivus Miniſter, & ſub ipſa virtutum tirocinia ad ampliſſimi muneris adminiſtrationem deſignatus, a Deo ipſo per noctis ſilentia vigilans adhuc ter vocante Propheta delectus & conſtitutus: viderat porro, quas ipſe Dei ultoris juſſu acerbiſſimas denuntiaverat, peccantibus inflictas pœnas: viderat bis victi clades populi, Sacerdotum

a 1 *Sam.* 3. 2. b 2. 12. c 3. 1, 2, 4, &c.

impiorum

impiorum excidia, &, quod victores pariter & victi obſtupeſcerent attoniti plane & increduli, illam adorandam præſentis Jehovæ ſedem, Arcam illam Fœderis, hactenus inviolatam & intactam, jam bello captam, ad *Philiſtæos* abductam, & de utriſque ritu diſpari aliquando triumphantem: Hæc, quæ *Pſal.* 78. fuſius deſcripta legimus, viderat mala publica omnia noſter ille, Propheta jam conſtitutus, miniſter & interpres Jehovæ, & regni ruentis Stator.— In hoc rerum ancipiti diſcrimine, in *Shiluntis* jam deſertæ & Tabernaculi una ſuccumbentis ſolitudine, cum Arca Fœderis in exilium huc illuc incerta ſede vagaretur, &, una cum Sacerdotibus exciſis, adminiſtrationum quoque publicarum beneficia prorſus intercidiſſe viderentur, — populuſque, veluti greges Paſtoribus deſtituti, trepidans dubiuſque palaretur, jam tum credibile eſt *Samuelem*, pro eximia ſua erga Deum pietate tum erga populares ſuos benevolentia, auctoritate, qua apud ſuos pollebat, ampliſſima opportune uſum hoc publicum docendi munus ſuſcepiſſe, &, quæ porro huic fini aſſequendo commodiſſime inſervirent, media adhibuiſſe: atque demum Diſcipulorum Collegia quædam inſtituiſſe, qui, ſub Præceptoris θεοπνευς᾽ auſpiciis ad rerum divinarum ſtudia formati, religionis jam pene intermortuæ igniculos reſuſcitarent: ea porro, quæ

ad juris divini cognitionem Deique cultum genuinum pertinent, atque adeo pietatis officia universa præceptionibus explicarent, & exemplo simul commendarent: præsertim vero Sacrificiis, quæ jam tum, *Shilunte* deserta, locis in excelsis utplurimum celebrabantur, assisterent, populo supplici [a] benedictiones impertirent, Dei gloriam laudationibus [b] hymnisque sacris prædicarent, qui denique omni ope efficerent, ut in tanta Ecclesiæ orbitate administrationum Sacerdotalium beneficia minus desiderarentur.

De Scholarum Propheticarum origine & institutione, quam *Samueli* tribuimus autori, hæc breviter dicta sunto: juvat porro historiæ sacræ ductum sequentes illarum deinceps incrementa, regimen, atque disciplinam investigare.

Comperimus itaque duas potissimum sub Prophetæ nostri auspiciis floruisse; alteram in [c] colle Dei, ubi aliquando manebant [d] *Philistæorum* milites stationarii, [quam tamen inter hostes armatos & victores numinis divini reverentia inviolatam usque & incolumem tuebatur:] alteram *Naiothis* in *Rama*, *Samuelis* sede patria, quo qui-

a 1 *Reg.* 9. 12, 13. b 10. 5, 10. c 10. 5, 10.

d Hæc circumstantia denotat locum, quem quidem vel antea vel postea *Philistæi* occupabant vel forte eo ipso tempore occupabant, Deo ita providente ut Theocratiæ sensus Israelitarum animis penitius insideret, ut humanis opibus minus freti Deo adjutori unice confiderent.

dem

dem in loco Nuntii a *Saulo* Rege miſſi non ſine ſtupore quodam & veneratione huic ſpectaculo interfuerunt, videntes ſcilicet *congregationem Prophetarum prophetantium, & Samuelem ſtantem, qui præerat illis.*

De Locorum ſitu animadvertimus fuiſſe quidem illa utplurimum editiora, unde cœli quaſi propioris liberior proſpectus, terrarumque ſubjectarum non vana deſpectio. Scholæ prioris deſcriptio ipſa jam memorata id ipſum haud obſcure ſignificat: imo & alteri illi idem competere docet & ipſa vocabuli [b] *Rama* ſignificatio, & inſuper de facto Geographorum teſtimonia. Fas eſt credere illa præcipue præ locis cæteris fuiſſe delecta, utpote quæ a communi hominum conſuetudine & tumultu remotiora, meditationi rerumque ſacrarum ſtudiis eſſent magis accommoda. His in collibus ſive deſertis ſive ſuburbanis Cœnobia ſua ſub *Samuele* præfecto Prophetarum filii coluerunt, & quidem tam opportune ſita, ut ab iis, quæ *κατ' ἐξοχην excelſa* nominantur, locis haud procul abeſſent; ut, ubi populus frequens religionis ergo confluere ſolebat, ibi quoque ipſi adeſſent, & rem divinam facientibus aſſiſterent publicæ pietatis adjutores. — Hic ille noſter, quem [c] Iſrael univerſus a *Dane*

a 1 *Reg.* 19. 19, 20 &c. b 7. 17. vide porro Vitring.
c 3. 20.

uſque

uſque ad *Beerſhebam* & Prophetam & Judicem ſibi divino jure præfectum recognovit, hic ille, divinæ mentis interpres conſultiſſimus, Diſcipulos ſibi aſcivit, imo demum Prophetarum collegia inſtituit: Erat profecto illi non minor Religionis, quam Juſtitiæ cura: neque ſane minor erat illius Prophetæ quam Judicis *Iſraelitici* laus. Qui [a] circuitus annuos primus celebravit, laudabilis inſtituti autor, a *Rama* ad *Bethelem* & *Gilgalam* & *Mizpam* progreſſus, ut judicia publica plenius atque commodius populo adminiſtrari poſſent, ab eodem pietatis diſciplinam & religionis reformatæ curam negligi potuiſſe nemo ſanus facile crediderit. — Quo præclarior erat illa *Samuelis* virtus omnique prædicatione digniſſima, qui, cum vitam fere omnem ſuorum utilitatibus impenderet, jam aliquando etiam poſteris prodeſſe meditabatur, diſciplinæ hujuſce ſaluberrimæ autor. Imo & mortuus adhuc loquebatur in Iſraelitica eccleſia atque republica Diſcipulorum vicaria ope pietatis Præceptor atque morum Reformator perpetuus.

Jure profecto, *Academici*, Fundatorum veſtrorum memoriam omni pietatis & honoris officio ſolenniter proſequimini: jure liberalitas illa & munificentia laudatur, cui tot magnifica ſplendoris publici monumenta debentur, cujus

a 1 *Reg.* 7. 16.

ad

ad vos atque rempublicam fructus uberrimi de-
rivantur. — Fuerit hoc fortunæ quod potuerunt,
bonitatis, quod voluerunt opes ſuas uſibus pub-
licis impendere: at vero certam politiæ normam
deſignare, mores dirigere, ingenia excitare, vir-
tutum & literarum ſtudia honeſtiſſimis inſtitu-
tionibus & incitamentis promovere — ea demum
eſt præclaræ cujuſdam ſapientiæ, ea veræ bene-
ficentiæ laus, quam poſteritas alet, & æternitas
ipſa ſemper intuebitur.

Quidni igitur pari jure Fundatorem ſuum Prophetarum filii, *Samuelem* ſuum, omni veneratione & præconiis cohoneſtent? Non ſane illius *αποφθεγματα*, non *απομνημονευματα* a Diſcipulis officioſe tradita accepimus: non marmori publico honorum titulos inſcriptos: at certe non pietatis, non ſapientiæ teſtimonia deſunt ampliſſima; non magna loqui, ſed vivere — hæc illi erat cura potior, & præclarius quiddam erat gentem Propheticam condere, quam ſumptuoſa Scholarum Mœnia. A *Dane* uſque ad *Beerſhebam* virtutum ejus veſtigia late impreſſa agnoſcimus; & ipſi rerum exitus non fruſtra præſentem teſtabantur. En ſpectaculum prorſus admirabile! *Cœtum Prophetarum vaticinantium, & Samuel una illis aſtabat præfectus.* Quorſum hæc? nempe ut præſens omnia conſilio, autoritate, & exemplo ordinaret, & moderaretur.

Quid

Quid autem?—Nihilne Diſcipulos ſub illo ſtudiorum Duce & Præceptore tam eximio profeciſſe arbitramini? Nihilne inde ad Eccleſiam, ad Rem publicam boni redundaſſe: imo vero illud perſuaſiſſimum habete, veram & genuinam Philoſophiam ex his fontibus fuiſſe derivatam: hinc ſcilicet divini juris notitiam, rerumque ſacrarum, &, quæcunque ad Dei cultum ſpectabant, (quæ quidem longe deſuetudine & iniquitate temporum corrupta obſoleviſſe videbantur) eorum jam denuo diſciplinam revocatam & officia demum pietatis univerſa, vitæque ſanctimoniam ſingularem, & ſeveritatem venerandam autore non indignam ſuo: & hinc porro illa animis hominum inſita, quæ poſtmodo in laudem tantam efforuerunt, virtutum ſemina, quæque deinceps ſæculorum inſequentium tenebras illuſtraſſe videntur; & hoc ipſo de lumine totidem accenſa ingeniorum lumina protuliſſe.

Theologiæ illius ſyſtema quæritis? ex fructu arborem agnoſcite. Quanquam ille quidem præcepta atque inſtituta ſua, utplurimum reliquerit non tam ſcriptis mandata quam vivis hominum ſenſibus atque moribus impreſſa, aliqua tamen illius, quæ in Prophetarum Scholis vigebat, diſciplinæ laudabilis veſtigia extitiſſe videmus. Illud ſaltem in genere comperimus, vitam illos degiſſe ſecretam, & fere monaſticam; a vulgo

&

& tumultu omni populari ſemotos ſibi penitus vacaviſſe, rerum ſacrarum ſive theologiæ ſtudiis devotos, & in Dei laudibus quomodocunque celebrandis atque illuſtrandis maxima ex parte exercitatos. Comperimus porro [a] Muſicam religioni comitem & miniſtram adfuiſſe, quæ cum non ſine dignitatis & ſuavitatis gratia quadam in hominum ſenſus acceptior influeret, paulatim id ipſum Prophetiæ, quam comitari ſolebat, venerabile nomen, quaſi abſorptum, ad ſe tranſtulit, ita ut concentuum hujuſmodi artifices & Pſalmodi [b] prophetare & vaticinari dicerentur.

Sentio equidem in affectibus tum concitandis tum etiam ſedandis Muſicæ permagnam eſſe vim; atque adeo illius opem inſtrumentalem in divino cultu adminiſtrando non fruſtra templis adhiberi. Ita interim in effectibus hæreo defixus, ut cauſas rei Phyſicas minus deſiderem. — Verum enimvero — quid iſthoc eſt novæ cujuſdam ſerenitatis ſive exultationis? ita ut in aures illico anima omnis evocata migret, corporiſque artubus aut ſtuporem obducat placidum aut motum numeroſum, & vocalitatem quandam inſpiret? quid iſthoc rei eſt, ut ſibi ſurripi ſe gaudeat, &, quaſi ſupra mortalitatis ſortem elata, choris cœleſtibus immiſceri videatur, facultatibuſque purgatis & puriori vigens ſenſu, *tota ſibi Deoque vacet*, pa-

a 1 *Reg.* 10. 5. b 1 *Chron.* 25. 2, 3 &c.

ratior,

ratior, aptiorque divini particeps conſortii? — Ut vero taceam, quos hiſtoriæ paſſim commemorant, effectus plane mirabiles, en id ipſum quod [a] Legatis a Saulo *Naiothas* miſſis, quodque [b] *Saulo* ipſi plus vice ſimplici (homini prorſus hac in parte incredulo & reluctanti) contigit, miraculum! Vir ille, a Muſicæ perinde ac rerum ſacrarum ſtudio alienus, cum Prophetarum Choro, qui cum *nablio & tympano & cithara & tibia ante ſe prophetantes colle ſacro deſcendebant*, in occurſum veniret, ſpectaculo tam venerabili commotus illico quid ſenſit? quid egit? quis illi erat ardor animi & inuſitata cordis exultatio? quænam agitatio illa, quæ nova corporis fere nudati habitudo? quæ vocis indoctæ modulatio mirifica? ſcilicet ἀμυσος ille &, ut ita dicam, ἀμυητος (mirum quod eſſet inſpectantibus) Prophetarum choro immiſtus adeo nihil hoſtile aut truculentum moliebatur, ut, ſui plane oblitus & diſſimilis, & impulſu quodam inſolito ſpirituque cœleſti animatus, cum prophetantibus una prophetare cœperit? Quid hoc rei eſt? [c] Num *Saulus* ergo inter Prophetas? unde autem illud eveniſſe dixerit quiſpiam? ex ipſius nempe Je-

a 1 *Reg.* 19. 20, 23. 10. 5, &c. b Υπο πολλε συνδυμενος ελαυνομενος εκφρων γινεσθαι — ita Joſeph. ad locum.

c 1 *Reg.* 19. 24 — πoθεν εις τουτο συνδαιμονιας ο Κισυ παις παρελθειν; ita Joſeph. ad loc.

hovæ

hovæ propioris afflatu, ipſius nempe, qui eſt omnium Prophetarum Pater.

Quid? quod idem *Saulus* toties erat expertus, triſtitiæ lenimen & ægritudinis remedium ſuaviſſimum! En hominem ſpiritu, qui antea plurimus inſederat, divino deſtitutum, &, veluti Cacodæmonis obſeſſione, Melancholiæ horroribus funeſtis oppreſſum [a] Citharœdus illico accerſitus, *Jeſſides* ille Exorciſta melior, infuſa leniter auribus medicina, exanimem recreavit, jacentem erexit, & plane redivivum incolumemque ſibi reſtituit.

Quid porro *Eliſæus?* cum, idololatræ Regis ſui conſpectu ipſo commotus derepente & perturbatus in indignationem prorumperet, neque de ſumma rerum in diſcrimine extremo quidquam aliquandiu conſultus reſpondere vellet, quid ille tandem? [b] fidicinem ſibi adduci juſſit: quorſum vero hæc? nempe ut lenimine Muſico, ut carmine ſacro & alloquio quodam cœleſti adhibito, hæc vehemens perturbatio ſedaretur, iracundiæ æſtus ſubſideret, animuſque aliorſum avocatus aliquando ad ſe rediret ſerenior & tranquillior, adeoque, cum affectibus humanis, & quidem turbulentioribus, eſſet vacuus, divini influxus patiens magis capaxque: hiſtoria ſacra ita teſtante, cum caneret *Pſaltes*,

a 1 *Reg.* 16. 23. b 2 *Reg.* 3. 15.

facta eſt manus Domini ſuper eum; ſcilicet ipſam vaticinandi facultatem muſica vis admota elicuit. Et quidem credibile eſt, cum hymnum ſacrum, qualem in Prophetarum ſuorum ſcholis, præcini audiret, illius quaſi admonitu Prophetæ animam fuiſſe ad ſe revocatam; imo potius ſupra ſe ad cœleſtia elatam atque ita præparatam & inſtructam Dei oracula concepiſſe & enuntiaſſe.

Profecto a primis retro temporibus religionis adminiſtrandæ officia cum concentu quodam muſico plerunque fuiſſe conjuncta intelligimus: quem quidem, cum eſſet a ſermone vulgari diſcretus, adeoque Diis gratior acceptiorque accedere exiſtimaretur, Theologi ethnici ſacris quoque ſuis adhibuerunt. Erat certe antiquitus, eritque pro merito ſuo in æternum cultûs divini magna pars, Pſalmodia; &, inter cæteras Scholarum Propheticarum laudes, præcipue illa Muſicæ ſacræ tam vocalis quam inſtrumentalis peritia celebrabatur, ita quidem inſtituta & ordinata, ut ad aures hominum gratior atque jucundior pietatis ſuadela perveniret.

Verum iſthæc haud ita intelligi velim, quaſi Pſalmodum quemlibet eximium pro Propheta haberem. Hac enim in parte non tam artificii cujuſdam admirabilis quam pietatis laudem quærimus. Quis autem crediderit Chororum cathedralium ſacrificulos quoſcunque & Cantores gregarios,

garios, qui conductæ vocis officium ſervile proſtituunt, in Eccleſia *vaticinari* aut *prophetare?* quis inquam homines, ſæpe ineptos, nonnunquam etiam & impuros, nulla plane Numinis divini reverentia, aut pietatis ſenſu tactos, homines fere in ſacrorum opprobrium natos, cantionum ſuarum opere, ut aiunt, operato præcipitanter aut frigide defunctos Dei omnipotentis gloriam illuſtrare aut amplificare crediderit? tanti profecto nominis dignitatem iis ſolum deberi ſentio qui, quod in Prophetarum Scholis fieri accepimus, hymnos extemporales afflatu quodam divino conceptos ipſi præcinunt, vel præcinentibus una ſuccinunt, infuſæ pietatis ardore pari inflammati, &, ut ita dicam, tactu quodam ſympathetico impulſi in concentus ſocietatem trahuntur, chordarum inſtar, quæ, juſto intervallo æqualiter tenſæ, communi quodam nervorum ſenſu moventur, parilique reſpondent ſono.

Materiem *porro* hymnorum hujuſmodi quæritis? en adſunt exempla: en illi, qui inter hagiographa recenſuntur, Pſalmi! ingenii pluſquam humani monumenta, ab iis præſertim autoribus conſcripti, quos aliquando *Samuelis* Domus & Prophetarum Scholæ aut hoſpites aut alumnos exceperant. [a] Dei Creatoris opera admiranda, Dei Servatoris providentia, — tum illa

a Pſalm. 104.

gene-

generalis tum etiam illa [a] ſpecialis in *Iſraelitica* gente conſervanda & dirigenda non ſine miraculis verſata, — atque adeo demum religionis œconomia univerſa laudationum materiem ſubminiſtrat quam glorioſam & plane infinitam! in qua omnis tum Muſicæ tum Poeſeos, quanta quanta eſt, vis magnifica exercitari & poteſt & debet; ita tamen, ut, cum ſummam laudem videatur aſſecuta infra rei dignitatem ſplendide exhauſta ſubſidat. Nequis ergo hanc, quam prædicamus, Pſalmodiæ diſciplinam ridiculam aut jejunam eſſe exiſtimet, quam viderit cum laudibus divinis eſſe conjunctam. Quid enim eſt iſthoc artis muſicæ? haud ſane, qualem Cantores hodierni admirantur, non frigida vocis modulandæ diſciplina, aut ſterile quoddam cantionis elaboratæ artificium, ſed quiddam παθητικώτατον και ψυχαγωγικον, ſed linguæ potius divinæ flexanima quædam Suada, non tam ad aurium lenocinia atque oblectamenta, quam ad affectuum purgationem, mentiſque quaſi extra ſe elatæ exultationem ſimul & ad eruditionem comparata. Inſtitutionum quarumcunque uſum ab abuſu ſecerni volumus: & proinde in Pſalmodia pietatis inſtrumentum, non artificii oſtentationem quærimus. En itaque illius uſus morales! en Diſciplinæ ſeverioris condimentum haud

[a] Pſ. 78.

inſuave,

inſuave, & quodammodo virtutum omnigenarum vehiculum! Ita nempe in illius exercitatione verſabantur Prophetæ futuri, ut fidei morumque præcepta ſimul haurirent: Et quidem ſub *Samuelis* Magiſtri auſpiciis ita inſtituti atque formati in reipublicæ celebritatem aliquando prodierunt, ut nominis Prophetici dignitatem factis atque dictis uſque venerandam tuerentur: Regumque *Iſraeliticorum* autoritati & idololatriæ, non impune modo ſed cum gloria quadam graſſanti, oppugnatores ſeſe opponere non dubitarent, iidem pietatis genuinæ Præceptores publici, & religionis oppreſſæ vindices intrepidi.

Quin juvat vobiſcum una, Prophetarum filii, in præterita redire, & [a] *Samuelis* veſtri ad excelſa illa contendentis veſtigia comitari. Nempe die hoc feſto magna undique Iſraelitarum frequentia concietur: apparantur victimæ & convivium: quid vero interim illa oculorum converſio ſignificat? quid illa popelli ſupplicis taciturnitas, & ſuſpenſa expectatio? Prophetæ nimirum jam advenienti ſingularis hæc reverentia debetur: illius precatio & benedictio deſideratur, unde rebus etiam ſacris uberior quædam Sanctitatis commendatio accedere exiſtimabatur. Videte quanta apud Deum pariter homineſque gratia valeret, quanta porro cum autoritate ſuorum animis im-

a 9. 12, 13 &c.

peraret,

peraret, ſive præcipiens admonenſque, ſive obteſtans, increpanſque! En, quæ cum laude veſtra & popularium fructu æmulemini, virtutum domeſticarum exempla! videtis ſane quædam ab illo pro ſpeciali juris Prophetici prærogativa extra ordinem effecta, plus forſan admirationis quam imitationis habitura: at vero pietatis officia communia &, quæcunque ſive ad mores reformandos ſive ad cultus divini adminiſtrationem pertinent, ea omni tempore exercere & licet & oportet.

Ecquis quærit cui bono fuerit hæc ſcholarum inſtitutio? recognoſcat Ille mecum quæ res ipſa loquebatur: recognoſcat mecum omne illud Eccleſiæ quod ſupererat *Iſraeliticæ*, verumque Jehovæ cultum illius unice opera ab interitu vindicatum. Inter impietatis Epidemicæ contagia Prophetarum filios hæc diſciplina ſua immunes præſtitit & incorruptos: eoſdem illos, qui poſtmodo dominanti temporum iniquitati oppugnatores invictos ſe objecerunt: Deo ita teſtante [a] *adhuc ſupereſſe ſibi ſeptem hominum millia, qui Baali genu nunquam flexerant. Imo vero* fas eſt credere ex hac literarum atque virtutum officina prodiiſſe magna illa nomina, *Nathan*, *Gad*, *Aſaph*, *Heman*, alioſque complures, qui vel in republica vel eccleſia principes viri eminebant.

a 3 Reg. 19. 18.

Pergi-

Pergimus jam ultra *Samuelis* ætatem inſtitutionis Propheticæ progreſſum & incrementa inveſtigare. Et profecto, *Davide* imperante, illius diſerta commemoratio rarior occurrit: Erat ſane ille ſingularis vir exempli, Rex idem & Propheta; erat in eo ingenii virtutumque lumen incredibiliter illuſtre, quale cæteros fere omnes fulgore ſuo obruere & reſtinguere videretur. Veruntamen ſub Illo imperante, Illo, quem Jehova titulo potiori ſuum agnoverat, qui aliquando etiam *Samuele* uſus erat & amico & præceptore, viguiſſe diſciplinam hanc noſtram & quidem forſan auctiorem, facile crediderim. His certe temporibus auſpicatiſſimis, quæ Arcam Fœderis aliquando inter hoſtes *Philiſtæos* captivam, deinde aliquandiu incerto lare vagabundam, jam tandem Tabernaculo ſuo redonatam, officii demum Sacerdotalis adminiſtrationes præſcripto legis ordinatas, adeoque religionis veræ cultum jam denuo reſtitutum & ſtabilitum viderant, etiam tum hic Ordo noſter permanſit, non ſine providentia divina ad ævi ſequioris commoda reſervatus. Prophetarum certe filii, juxta ſcholarum diſciplinam, opere ſacro ſuo occupati paſſim commemorantur: *filii* [a] *Aſaph Heman & Ieduthan, prophetantes in citharis & pſalteriis & cymbalis, ſuper confitentes & laudantes Dominum.*

a 1 *Chron.* 25. 1, 3.

At

At vero, poſt Tribuum a *Rehoboamo* Rege & a Templi *Hieroſolymitani* cultu defectionem, poſt idololatriam *Iſraelitis* a *Jeroboamo* imperatam, & jure regio conſtitutam, tum demum, cum nodus incidiſſe videretur Deo dignus vindice, illud Prophetiæ lumen aliquanto vividius atque fuſius exundaſſe videbatur, ὡς λυχνος φαινων εν αυχμηρῳ τοπῳ. Non enim in Theocratia potentiæ divinæ omnino deerant teſtimonia: imo vero interdum impietatis publicæ triumphos obteſtatione ſua interpoſita Jehova caſtigavit & repreſſit; imo nonnunquam & miraculorum autoritate religionis, quam ipſe præſcripſerat, ſanctitatem vindicavit, & Eccleſiæ jam periclitantis & ruituræ reliquias conſervavit. — Qualem vero illius conditionem ſub Regibus *Iſraelitis* fuiſſe dicam? miſeram profecto & pene deſperatam: præſertim [a] *Ahabo* regnante; iſte homo pravitatis omnigenæ mancipium, & ambitioſe nequam, cum anteceſſorum omnium impietates omnes adimplere & exſuperare ſtuderet, *Jezebelis* ſuæ impulſu, gentis Propheticæ univerſæ excidium atque internecionem meditabatur, uno hoc ictu ſe rem omnem confecturum ratus. Prophetarum Collegia exſcindere id demum erat eccleſiam Dei univerſam penitus ſubvertere: ex quo intelligi

a 3 *Reg.* 16. 33. b 3. 18. 4.

poteſt,

poteſt, quam fuerit ipſorum dignitas populo veneranda & autoritas Idololatris formidanda.

Jam vero temporibus hiſce iniquiſſimis Diſcipulorum frequentia non defuiſſe videbatur. Comperimus certe *Obadiam* centum capita ex eorum numero e clade communi quæ undiquaque graſſabatur, ſubducta & ſpeluncis incluſa conſervaſſe. Et quidem ille *Ahabi* furor armatus pietatis hujuſce ardorem adeo non extinxit, ut etiam auxerit: & e Martyrum ſuorum ſanguine ſobolem novam uſque repullulantem mirata eſt Eccleſia: eodem plane ritu, quo illa [a] *Zareptæ* vidua mulier, mirata eſt olei atque farinæ ſuæ reliquias diſpendio quotidiano abſumptas perenni interim incremento renovatas.

Et profecto non omnis periiſſe videbatur dum ſupererat, ille ad mortem toties fruſtra quæſitus, *Elias Thiſhbitis*, ille, unus inſtar omnium, unus de [b] *Baalitis* univerſis triumphans, &, pro victoris jure, hoſtes Jehovæ certamine publico victos & αυτοκαταχειρας viciſſim exitio dedens, a populo indignante trucidandos. — Sed eo præcipue nomine eſt ille a nobis laudandus, quod poſterorum utilitatibus proſpexerit Prophetarum futurorum Pater; atque adeo, Deo jubente, *Eliſæum* ſibi Diſcipulum & Miniſtrum aſcivit, eundem revera ab aratro Dictatorem, & ſpiritu di-

a 3 Reg. 17. 16. b 3 Reg. 18. 39, 40. c 3 Reg. 19. 19.

vinitus

vinitus transfuſo aliquando Scholarum Præceptorem & Magiſtrum futurum. Illius ſub auſpiciis plurimum floruiſſe videbantur Prophetarum Scholæ, & latius propagatæ atque uberius amplificatæ. Sedes eorum diverſas extitiſſe intelligimus in *Carmelo*, *Gilgala*, *Bethele*, & *Hiericunte*: & indies porro Diſcipulorum frequentiam accreviſſe. Ex *Hiericunte* ſola ſpeculatores prodiiſſe memorantur quinquaginta viri robuſtiores, Prophetarum filii. De cæteris ſimiliter neque difficilis neque incerta conjectura. *Eliſæus* certe non uno in loco & quidem ſolus commorabatur: ille, ſcilicet univerſorum Pater & Præceptor, &, ut ita dicam, illa vitalis anima in partes omnes diffundenda. Deprehenduntur illius veſtigia hinc & inde commigrantis *Jordanem* ultra citraque, & a *Carmeli* ſolitudine in *Samariæ* frequentiam & celebritatem tranſeuntis. Ita demum inter *Iſraelitas* ſuos verſatus eſt, ut, quoſcunque attingeret, locos eoſdem beneficentiæ ſuæ teſtes relinqueret, non tam itineribus ſuis peragratos, quam præceptionum & virtutum memoria illuſtratos; fluminis benigni ritu, una cum divagationibus ſuis uberiorem terris fœcunditatem impertiens.

Quæret fortaſſe quiſpiam qualium hominum ex ordine hi Prophetarum filii potiſſimum evocati erant & delecti: in promptu eſt quod nobis

bis videtur veriſimillimum: Nempe illos e *Levitarum* vel *Nazaritarum* grege plerunque fuiſſe delectos; erant enim illi præ cæteris pauperiores, erant negotiis civilibus minus impediti, otio magis adeo abundabant, — rerum interea ſacrarum ſtudiis magis addicti. Qualis apud eos eſſet regiminis atque politiæ forma nulla ſane reſtat explicata recordatio: pauca tamen, quæ ſparſim commemorata reperiuntur, in tranſcurſu breviter annotare libet. — Conſtat certe eos non ita hoc vitæ genus Monaſticum eſſe ſecutos, ut a conjugio abhorrerent. Nam 2 *Reg.* c. 4. uxorum mentio diſerta occurrit. — Deinde unum atque alterum in Collegiis cum imperio præeſſe; atque ab eo plerunque unum atque alterum fuiſſe delectum, qui a latere miniſter aſſiſteret: Sic *Elias* dicitur *Eliſæum* famulum comitemque ſibi aſciviſſe; cujus miniſterium hoc charactere præcipuo Hiſtoricus ſacer deſignat, viz. [a] *Eliſæus* ille, *qui fuderat aquam ſuper manus Eliæ.*

Siquis porro de præceptionibus propheticis quærat — quo modo — & quo potiſſimum tempore fuerint adminiſtratæ, intelligat mecum in genere illarum adminiſtrationem fuiſſe aut publicam aut privatam: illam, plerunque ſtatis quibuſdam diebus, & quidem populo univerſo:

a 4 *Reg.* 3. 11.

hanc

hanc autem, præcipue Diſcipulis & quidem continuo adhibitam. Intelligat adeo Noviluniis, Sabbatis, feſtiſque diebus, quando religionis cauſa populus frequens confluere ſolebat, Prophetas in celebritatem publicam prodiiſſe: ibi rem ſacram facientibus aſſiſtebant pietatis publicæ participes & adjutores. — Aliquando in cathedra ſedentes conſulentibus quibuſcunque reſpondebant: publico quod eſſet bono ſubmonebant: nonnunquam etiam & oracula enuntiabant, divinæ mentis interpretes. — Porro autem illos præfinitis quibuſdam diebus huic operi ſuo vacare, colligere licet e 2 *Reg.* 4. 23: ibi enim *Shunamitis* illa, quæ *Eliſæum* jamdiu hoſpitio liberali exceperat, filii repentina morte conſternata, & conſilii inops, illico ad Prophetam ſuum properare cum vellet, a Conjuge ſuo hac de re expoſtulante admonetur, fruſtra hoc iter fore ſuſceptum, quippe tempore alieno & incommodo; quando Propheta aliis negotiis impediretur: *quare ad prophetam properas hoc die, qui neque novilunium eſt neque Sabbatum?* ex hac expoſtulatione id, quod ad rem noſtram facit haud ægre elicimus, in ea nempe ſignificationem non obſcuram ineſſe, quod certis diebus aliis, quales erant Novilunia atque Sabbata, conſulentibus quibuſcunque Propheta vacare ſoleret.

Notan-

Notandum porro eſt quod, cum pro more fuerit docentibus ſimul atque diſcentibus ſedere, ideo ipſa tum docendi tum etiam diſcendi tota diſciplina per nudam Seſſionis habitudinem plerunque deſignatur. Sic enim 2 *Reg.* 6. 32, *Eliſæus ſedebat in ædibus ſuis, & ſeniores ſedebant cum ipſo.* Nempe coram Propheta, Diſcipulorum ritu, juxta ad pedes aſſidebant: ad illum præceptorem animum attendebant, illum in rebus dubiis divinæ mentis conſcium interpretem conſulentes. Ita inſuper & 2 *Reg.* 4. 38 *Eliſæus rediens venit Gilgalam & ibidem Prophetarum filii ſedebant coram ipſo.* Hujuſmodi plura & alibi reperiuntur, præcipue apud *Ezekielem* c. 8 — 14. 1. — 20. 1. &c.

Eſt & illud etiam animadvertendum, hoſce Prophetarum † filios ſub communis Magiſtri auſpiciis, quaſi in Collegium congregatos, ſub iiſdem tectis habitaſſe: quod quidem e 2 *Reg.* 6. 1. facile colligi poteſt. Hunc enim in modum

† Filii Prophetarum, quos Monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas propter Jordanis fluenta & turbis urbium derelictis polenta & herbis agreſtibus victitabant. Hæc *Hieronym.* in Epiſt. ad *Ruſticum* — Idem porro in Ep. ad *Paulin.* de vita Monaſtica hæc fuſius —— "& ut ad autoritatem redeam "noſter princeps *Elias*, noſter *Eliſæus*, noſtri Duces filii Prophe- "tarum habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi ta- "bernacula juxta fluenta *Jordanis:* de his ſunt & filii illi *Rechab* "qui vinum & ſiceram non bibebant qui morabantur in tentoriis.

Eli-

Eliſæum præfectum ſuum alloquuntur. "Locus "hic, in quo ſedemus, eſt anguſtus nimis: fas "ſit juxta ripas *Jordanis* materiem ligneam cæ- "dendam conquirere, e qua in uſus communes "ædificia fiant auctiora." Ex quo & hoc inſuper colligi poteſt, eo ſcilicet tempore Prophetarum Scholas quam maxime floruiſſe, & Diſcipulorum ampliorem numerum indies accreviſſe.

Neque vero eſt illud prætereundum, quod de ipſorum victu et συσσιτια memoratur: nempe cibum publice, Magiſtro præſidente, capiebant a Prophetæ Miniſtro rite præparatum: tenuem quidem illum ſimplicemque, [a] herbas, polenta, & hujuſmodi menſæ brevis dapes; nihil profecto ad luxum lautitiamque comparatum, ſed ad temperantiæ uſus omnia, ad corporis animique ſanitatem, rerumque ſacrarum ſtudioſis apprime accommodata.

Huc denique accedit & aliud quiddam proprium & ſingulare, quo a communi hominum grege erant diſcreti: nempe habitus ipſe & veſtitus, qualis philoſophiæ ſacræ ſtudioſos deceret; qui, cum in hominum oculos incurreret, ipſorum ordini dignitatem & reverentiam ampliorem conciliaret. Quidni autem illi, prout cæteræ deinceps Philoſophorum Scholæ, aliquas honeſtæ diſcriminationis notas ſibi præferrent? qualeſ-

a 4 *Reg.* 4. 38.

cunque

cunque demum illæ fuerint, haud temere fuiſſe adhibitas credimus, aut fructu ſuo deſtitutas. *Saulus* certe inter Prophetas non animi modo affectu novo, ſed etiam ſpecie externa, habitu corporis geſtuque plane diſſimilis ſui apparuit; [a] projecta enim Chlamyde regia, & fere nudatus procidit coram Samuele toto die illo atque nocte vaticinatus. Comperimus porro 3 *Reg.* 20. 41. Prophetam quendam *Ahabo* occurriſſe, alieno nomine atque habitu obvelatum & incognitum, eo ſub obtentu fabulam quandam narraſſe, quam quidem *Ahabus* poſtmodo intellexit eſſe a re ſua non alienam: aliquandiu ſane ſpecie hominis deceptus narrationi fictæ aurem patientem adhibuerat; cum autem velamenta, quæ capiti erant obducta, detraxiſſet, illico Rex *Iſraelis* agnovit & errorem ſuum, & hominem illum eſſe e numero Prophetarum.

Rerum denique ſummam recolens video hæc Prophetarum Collegia ita fuiſſe inſtituta, ut variis *Iſraeliticæ* reipublicæ ſimul & Eccleſiæ uſibus ſubſervirent: video ex hoc ordine ad res gravioris momenti adminiſtrandas homines idoneos fuiſſe deſignatos. Proinde 4 *Reg.* c. 9. dicitur *Eliſæus* aliquem e Prophetarum filiis accerſiviſſe, qui *Jehu Nimſhiaden*, a Deo Regem jam tum deſignatum, Chriſmate ungeret. — Erant

[a] 1 *Reg.* 19. 24.

inter

inter eos, qui leges divinas consulentibus exponerent, qui etiam peccantes increparent, redarguerent, admonerent — qui denique pietatis officia & præceptis elucidarent, & autoritate tuerentur. — Erant etiam qui titulo potiori se Prophetas ostenderent, qui res venturas prædicarent: quod quidem ab Illis, [a] qui in Schola *Hierichuntica* commorabantur, factum novimus: aderant enim Illi *Elisæo* Magistri sui *Eliæ* discessum supremum prænuntiantes.

Et profecto quis non facile crediderit institutionem illam Deo imprimis placuisse, quæ homines e communi turba & colluvione segregatos in Collegiorum societatem quandam & disciplinam convocavit, & sub Magistri alicujus ductu Theologiæ studiis unice devotos consecravit. Neque sane mirum videri debet, si ex hoc potissimum hominum ordine ad Prophetæ officia etiam extraordinaria obeunda aliquos identidem selegerit Deus, animisque tam præclara exercitatione præparatis rerum quoque [b] arcanarum cognitionem aliquando impertiverit. Dona Gratiæ, perinde ac Naturæ, recto usu ipso & cultura amplificantur: etenim *Matt.* 25. 28. servo diligenti fidoque talenta quinque per mercaturam rite lucrato & aliud insuper talentum præmii loco accessisse intelligimus. Neque sane dubitamus quin

a 4 *Reg.* 2. 5. b *Psal.* 25. 14.

disci-

diſciplinæ huic propheticæ, quæ veræ religionis uſibus tam commode famulabatur, Dei faventis Gratia ſingularis adfuerit.

Prophetas certe aliquando pro re nata fore excitandos *Iſraelitarum* animis haud vana expectatio inſederat: porro, nequa fraus ſubeſſet, ne pro veris falſa ſubſtituerentur, [a] Lege *Moſaica* erat ſatis cautum; & certa quædam probationis norma erat præſcripta. Jam vero Prophetarum Collegia videte: en ibi homines, quorum vita moreſque erant a populo jam ſatis explorati & perſpecti: novitati diſciplinæ nulla præjudicia & offenſiones occurrebant, & pietatis porro fama & Miniſterii autoritas abunde jam cognita erat & confirmata: non ad hanc rem miraculis, non nova aliqua & ſingulari commendatione opus erat. Cum itaque homines ita inſtituti præ cæteris magis idonei videantur, æquum ſane eſſe & probabile arbitror inter hæc ordinaria inſtrumenta quoque extraordinaria plerunque extitiſſe. Et quidem de facto conſtat ita rem fuiſſe a Deo comparatam: atque id ipſum haud obſcure teſtatur illa *Amoſi* Prophetæ ad *Amaziam* Pſeudoprophetam memorabilis reſponſio: non, inquit, *eram propheta, neque prophetæ filius: ſed bubulcus eram, & perquirens ſycamora; cum aſſumpſit me a ſequendo grege, & edixit mihi Jehova, abi,*

[a] *Deuter.* 18.

& prophetato apud populum meum Iſrael: quaſi dixerat, mea ad munus propheticum deſignatio erat plane extraordinaria: fateor equidem non eſſe me e doctioribus illis viris, qui e Collegiis, quibus præſident, ad hoc munus obeundum ſæpius evocantur: neque ſane profiteor ego me magni alicujus Præceptoris Diſcipulum, a pueritia continuo in Scholis Propheticis inſtitutum & informatum; at me novum hominem Jehova evocavit extra ordinem, & ſpeciali quodam jure Prophetam conſtitutum.

Eſt ſane Prophetia χαρισμα quoddam, divinitus infuſum: hac in parte potentiam divinam agnoſcimus: poteſt ſane Deus, pro arbitrio ſuo & ſapientiæ prærogativa, quemlibet afflatu ſuo impellere & accendere, ab Aulæ regalis ſplendore *Iſaiam*, — a grege ſequendo *Amoſum*, — a matris ubere *Jeremiam*, — ab aratro demum *Eliſæum* evocare; ου γαρ θεληματι ανθρωπου ηνεχθη ποτε προφητεια· αλλ' υπο πνευματος αγιου φερομενοι ελαλησαν οι αγιοι θεου ανθρωποι. Veruntamen idem Deus documento multiplici oſtendit pietatis inſtitutiones etiam humanas quaſcunque ſibi placere: finem qui præſtituit idem media approbat, adjuvatque: atque adeo animos longa diſciplinarum exercitatione ſubactos, utpote propiori conſortio ſuo digniores, plerunque gratiæ influxu uberiore illuminat: imo etiam συνεργα-

ζεται

ζητην ἡμιν, induſtriæ laudabilis fautor & remunerator, τοις εκζητουσιν αυτον μισθαποδοτης.

Jam tandem aliquando, ipſo rei ſubjectæ decurſu admonente, ad Prophetarum filios, ſive juventutem Academicam, deducitur peroratio, ea præcipue, quæ vobis, Baccalaurei florentiſſimi, uſui ſint, documenta commonſtrans. Sentio equidem plura mihi hac in parte dicenda ſupereſſe, quam quæ εν τω εμω ὑδατι commode abſolvi poſſunt: argumenti dignitas orationem poſtulat longiorem; patientia veſtra breviorem. Quamobrem, in ipſo curſu, vela jam contraho; alio forſan tempore, ſiquidem occaſionem dari contigerit, hac de materie fuſius aliquando & diſtinctius verba facturus. Interea fas ſit e ſupra jam memoratis pauca quædam elicere, & ad ea quæ maxime ad rem veſtram ſpectant, digitos intendere.

Scholarum Propheticarum quænam fuerit origo — quæ porro incrementa — qualis demum ſtudiorum atque diſciplinæ conformatio — videor mihi aliquatenus explicaſſe. — Jam vero ſingula rite collata recolens quis non videt, analogiæ ratione quadam, eadem ad inſtitutiones noſtras Academicas commode tranſlata pertinere, communi quadam officiorum cognatione conjuncta? videte finem eundem utriſque propoſitum: neque

que mediorum, quæ adhibentur, rationem prorsus dissimilem. In Prophetarum Scholis procul a negotiorum civilium tumultu religioni rerumque sacrarum studiis Prophetæ futuri vacabant: & quid aliud hæc vestra meditatur disciplina quam ut simili fere modo ingeniorum primitias, atque adeo vitam omnem, Dei gloriæ unice consecratam impendatis: ita ut Eruditionis humanæ commendatio Religioni accedat, & Philosophia Theologiæ famuletur.

Antiquitatum ecclesiasticarum monumenta investigare opus quiddam est neque ingratum neque infructuosum: juvat adeo Prophetarum Scholas invisere, hominum mores & studia διαιταν και πολιτειαν perquirere, atque ibi circumstantias quasdam a vestris, Academici, institutionibus haud prorsus alienas admirari. Quid enim? eadem fere hæc vestra est in Collegiis, quæ illorum in Prophetarum Scholis, vitæ conditio: iisdem sub tectis sedetis coram Propheta communi studiorum vitæque informatore. Sub eodem insuper Magistro, ad Monasticum quoddam vitæ genus formati, publice cibum communem capitis, mensæ quidem brevis, ad corporis necessitates non ad luxuriæ alimenta comparatum.

Siquando olim illud vobis querelæ fuerat quod domicilia nimis angusta atque humilia extiterint,

en illa, quæ vobis quaquaverſum auctiora & ſplendidiora erexit ædificia ſingularis Patronorum Munificentia, ædificia etiam Principibus hoſpitibus non indigna. Abſit ut elegantiæ cujuſlibet ſpectabilis gratiam hiſce Literarum ſedibus invideam: Imo vero quicquid eſt externi nitoris aſtruatur, ita tamen, ut priſcam morum ſimplicitatem non corrumpat.

Eccui porro uſui erat ille *habitus* ſingularis, qui Prophetarum filios a vulgo diſcriminavit? id certe beneficii a vobis minime deſiderari ſentio: en decorum, qualis ſcholaſticos decet, veſtitus colorem atque formam, pro diverſis gradibus diverſum. En! quod vobis proprium & peculiare Academiæ externæ jure invident, id ipſum, quod dignitatis cujuſdam ſpectabilis ſpecie ſe non fruſtra commendat; admonetque Togatos, nequid admittant unquam nomine indignum ſuo. Nequis autem levia eſſe hæc & contemnenda exiſtimet, adeoque Legiſlatoris autoritate minus digna, intelligat, hoc ipſo teſtimonio id, quod momenti eſt graviſſimi, contineri: intelligat obſequio tali morum conformationem haud contemnendam declarari: intelligat demum nihil eſſe in politia Academica leve aut ridiculum, cujus ulla in parte vis ſaluberrima cernitur, quomodocunque conducens ad conſervanda publicæ vel ſtabilitatis præſidia vel etiam dignitatis ornamenta.

Vidi-

Vidimus jam antea Prophetas, tum in Scholis ſuis, tum in celebritate populari, rerum ſacrarum in adminiſtrationibus diverſimode verſatos: eoſdem præcipue ſacrificiis ſive piacularibus ſive euchariſticis vidimus aſſiſtentes, pietatis publicæ participes atque adjutores. Ecquid vero conſimile recipit veſtræ diſciplinæ ratio? Imo quidem filios itidem ſuos videt Academia quotidie Dei gloriæ λειτυργυντας, ſimiliter precationum ſacrificiis, tum matutinis, tum veſpertinis, ex præſcripto aſſiſtentes, & pro re nata confitentes, deprecantes, ſupplicantes, & laudantes. Placeant itidem Deo hæc pietatis quotidianæ officia, neque ſuo fructu debito deſtituantur! pro Sacrificiis valeat hæc Liturgia veſtra, preceſque in odorem ſuavitatis, veluti thuris fumus, coram Jehova aſcendant!

Ecquis porro Muſicam admiratur, quam Dei laudibus prædicandis non fruſtra a Prophetarum filiis adhibitam cognoverit? idem ille mecum una intelligat minime illam ab inſtitutionibus veſtris abhorrere: imo vero aliquam in *plano cantu* peritiam, utpote cuivis Prophetæ futuro ſive Sacerdoti neceſſariam, a Legiſlatoribus veſtris pleriſque exigi & præſcribi ſentio. Utcunque vero illa cum Pontificiorum ſuperſtitione una, cui comes & famula adhæreſcebat, magna ex parte exulaverit, non tamen penitus interci-

dit:

dit: Muſicæ, cujus in affectibus moderandis mira vis cernitur, uſum bene temperatum haud inviti agnoſcimus; &, quatenus eſt idoneum pietatis inſtrumentum, eatenus cultui divino adhiberi volumus. Eo certe animo Pſalmodiam noſtram intueri oportet, ut Liturgiæ partem minime contemnendam; imo potius, ut inſtitutionem ſeveram ſimul ac jucundam, quippe laudibus divinis concelebrandis ſacratam; quam adeo a primis uſque Eccleſiæ temporibus deductam Reformatores noſtri continuo nobis excolendam conſervarunt. Quare, quo poſſumus, ſtudio diſciplinam hanc in melius provehere meditemur, neque committamus ut, per Cantorum laſciviam, ſive imperitiam, ſive faſtidium, evileſcat unquam, & in ludibrium abeat: id demum volumus, ut hominum auribus pietatis oratio commendatiorem ſe inſinuet; ita ſuavitatis condimentum accedat, ut interim dignitas & reverentia neutiquam imminuatur.

Illud vero, quod præcipuum exhibet hæc Prophetarum noſtrorum hiſtoria, nefas foret præterire: nempe ex illorum Scholis viros illos fortiſſimos prodiiſſe, qui iniquitati temporum & impietati publicæ, qui porro idololatriæ, præter fas dominatu regio conſtitutæ, opponere ſe auderent oppugnatores intrepidos & invictos; quique adeo Eccleſiæ periclitantis reliquias ab interitu

ritu vindicarent. Quid autem, Academici? hanc-cine laudis partem a re veſtra prorſus alienam exiſtimatis? imo vero † noviſſima illa ſæculi ſuperioris tempora recolite, cum ſcilicet, *Ahabo*, ut ita dicam, regnante, & *Jeſuitis* una aſtipulantibus & urgentibus, Prophetæ veſtri, Academiæ principes viri, in carcerem, in exilium ejicerentur; cum jura Civium Imperantis libido invaderet, cum demum Eccleſiæ Reique publicæ incolumitas in diſcrimen & certamen ultimum adduceretur — quæ tum in ancipiti illa conflictatione, quæ veſtra extitit integritas? quæ fortitudo, & propoſiti tenax conſtantia? ea profecto, cujus vim fructuſque ad *Angliam* univerſam pertigiſſe ſentio; cum hæc publica virtutis veſtræ declaratio, veluti ſigno quodam ſublato, omnium ordinum homines ad tyrannidis Pontificiæ deteſtationem & libertatis recuperandæ deſiderium excitaret. Juvat itaque, non ſine tacita quadam gratulatione, recordari primos Libertatis publicæ & Religionis vindices e Prophetarum ſcholis prodiiſſe: juvat hæc antiqua tanquam recentia, & peregrina tanquam domeſtica, percurrere; atque adeo, dum aliena ad noſtram rem transfertur laus, ipſi nobis placemus magis, & circumſtantiarum ſimilitudine ipſa delectamur.

† v. Hiſtor. Coll. Magdalen. Oxon. 1688.

Quid

Quid porro autem? — quid de *Hiericunte* ſua ad *Eliſæum* Prophetarum filii? "loci, inquiunt, "hujuſce ſitus eſt amœnus: ſed aquis amaritudo "quædam ineſt." 3 Reg. c. 2. v. 19. Ecqua in parte hoc ad rem veſtram pertinere videtur? O! ſiquid unquam tale contigerit, inſpergatur itidem illud Gratiæ divinæ ſal mirificum! expurgetur quicquid eſt amaritudinis, & amœnitati ſalubritas inſuper accedat.

Adeſte, Hoſpites, circumite *Sionem* noſtram, numerate turres: totidem decora recenſete, quæ poſteris & gloriæ fuerint & emolumento. Quem non ipſe Loci conſpectus placida quadam admiratione permulcet? tum ipſa ſolitudo & tranquillitas, tum frequentia & celebritas, tum ubique in moribus habituque decori ſpecies honeſtum quiddam & venerabile ſpirat, quale Religionis atque Philoſophiæ ſedem maxime commendat. — De politia quidem Academica jure magnifica quædam & ſentimus & prædicamus. Verum, inter cætera, & illud præcipue beneficii loco deputamus, quod procul a ſtrepitu & tumultu forenſi, curiſque, tum ſervilibus tum ſplendidioribus, rei literariæ & religionis culturæ vacare liceat.

Videte adeo *Scholarium* nomen ipſum quid ſubmonet; otium quidem, ſed honeſtum, ſed literatum: non ignaviæ, non luxuriæ deditum:

ſed pietati ſtudiiſque liberalibus devotum, cum popularium fructu ſimul & laude veſtra conjunctum. Prout olim Prophetarum Scholas, videor itidem & veſtras, ita poſitas & conſtitutas, ut a rerum civilium tempeſtatibus in tranquillum ſemoti animos diſciplinis honeſtioribus magis commode excolere poſſitis. Videte adeo quid exigit hominis Academici ipſum το αξιωμα: quid oportet vos facere a vulgo tam longe remotos? videte quam plane indignum fuerit homine Academico Politicorum negotiis, &, quæ nihil attinent, ſeſe ultro immiſcere, partium ſtudia fovere, offenſiones ſedulo incurrere & provocare, imo & rem publicam conſiliis ſuis dirigendam capeſſere — quid, inquam, ab ingenio, moribuſque veſtris, & inſtitutis magis abhorret? quam porro turpe eſt provinciam deſerere propriam, alienam autem invadere quam injurium? ambitionem non recipit humilitas veſtra, ſeditionem vero reſpuit dignitas.

Eos autem præcipue, quotquot Theologiæ nomen dederint, qui potiori quodam titulo *Prophetarum filii* habentur, hac in parte cautius agere oportet: caveant illi, ne, e portu in altum delati, undis civilibus merſentur: caveant, ut vitæ color moreſque tam reverendi nominis dignationi reſpondeant: meminerint eſſe ſe illius Magiſtri Diſcipulos *cujus regnum non eſt hujus mundi*:

mundi: adeoque politiæ cœleſtis jura eſſe ſibi potiſſimum exquirenda: &, utcunque in immenſo illo της εν κυκλῳ παιδειας curriculo ad vitæ utilitates vel oblectamenta vel etiam ornamenta plurimæ excolantur diſciplinæ, at meminerint in Theologia præſertim, utpote ſtudiorum fine ſupremo, eſſe ſibi conquieſcendum; &, quod a *Chriſto* olim *Marthæ*, id ſibi quiſque non fruſtra dictum putet, Μαρθα, Μαρθα, τυρβαζῃ περι πολλα· ενος δε εστι χρεια. Luc. 10. 41, 42.

Quin recognoſcite mecum hæc Eccleſiæ tempora ſequiora. Non jam amplius χαρισματα ſingularia expectantur, non divinitus infuſa ſapientia: induſtriæ humanæ res omnis permittitur. Proinde, quo magis ſubſidia extraordinaria defuerint, eo ſtudioſius quicquid eſt opis ordinariæ adhiberi debet: quicquid diligentia elaborari, ingenio excogitari, prudentia ordinari, quodcunque demum pietatis aut literaturæ inſtrumentum afferri poteſt, id omne uſibus ſuis unice conſecratum deſiderat, & pro jure ſuo ſibi debitum vendicat Eccleſia. Theocratia adhuc vigente, ubi ὑπο πνευματος αγιου φερομενοι οἱ ἁγιοι θεου ανθρωποι ελαλησαν, etiam tum e Scholis Prophetarum ad officia quædam extraordinaria aliquos fuiſſe a Deo evocatos vidimus: ex quo intelligi poteſt animos hominum diuturna quadam pietatis & eruditionis diſciplina ſubactos &

exer-

exercitatos Deo viſos eſſe præ cæteris digniores quibus ſpiritus ſui influxum Gratiæque lumen uberius affunderet. Quamobrem videte quanta inſtitutionibus Academicis veſtris reverentia debeatur, quæ illud præcipue meditantur ut Prophetarum filios nomine ſuo venerabili dignos efficiant, & in reipublicæ celebritatem aliquando producant Theologos omni laudis genere inſtructiſſimos.

Verum enimvero, Baccalaurei florentiſſimi, quoties vos intueor, quotquot eſtis Theologiæ, & fortaſſe jam nunc Ordinum ſacrorum, Candidati, ne ad tanti momenti res capeſſenda ανιπλοις χερσι δη λεγε) και ψυχαις αμυητοις prorſus accedatis, toties ſubit id ipſum, quod * a viris eruditione & pietate præſtantiſſimis ſæpius eſſe deſideratum ſentio, votis ſaltem expetere & quodammodo ſpe præſumere: ut nempe aliquando in Academiis, præter omne id quod generale & ordinarium habetur, prævia quædam & ſpecialis † diſciplina uſibus veſtris accommodata inſtituatur; ſpecialis, inquam, & ſyſtematica quædam diſciplina, ad officium Paſtorale, quod vobis ſtudiorum metam proponitis, unice ſpectans: quæ illius, quæ ſentio

* V. *G. Bulli Menevenſ.* vitam a *Rob. Nelſon* conſcriptam p. 19. v. itidem *Humph. Prideaux* S. T. P. vitam p. 233 &c.

† Cum, quæ hac de re habeam dicenda, annotatiunculæ limites non capiant, in Appendice ſubjecta fuſius & diſtinctius diſſerendum eſſe duxi.

quam

quam latiſſime pateant, partes ſingulas deſcribat, &, quicquid præceptionum ad eaſdem rite adminiſtrandas pertinet, id omne luculenter εν τυπῳ concinnatum exhibeat. In ſumma, novum quendam Theologiæ Præceptorem deſidero, non tam Scholaſticum quam Catecheticum: qui non tam eruditionis ſuæ famæ, quam veſtræ ſtudeat utilitati: qui delectu habito materiem Theologicam proponat; topica locoſque communes exponat, diſponat; qui vario in genere operum inſtrumenta expromat, uſumque deſignet: qui explicandi, applicandi, orandi, concionandi demum artem univerſam deſcriptam & illuſtratam vobis adhibeat. Illud denique præcipuum curo cupioque, ut Diſcipulus noſter Theologicus, eximii alicujus Præceptoris tam Exemplo quam Doctrina formatus, & diuturna porro exercitatione præparatus, ex hac ingenii virtutumque officina in lucem publicam aliquando prodeat, non plane hoſpes rudiſque, ſed iis artibus ornatus, quibus eſſe decet Prophetarum filium; γραμματευς μαθητευθεις εις την βασιλειαν των ουρανων, —— εργατης ανεπαισχυντος, ορθοτομων τον λογον της αληθειας: haud ille profecto, quem vulgus ſæpe admiratur, novus & adoleſcens Theologus, ille rerum inops theatralis Rhetor, ατερμολογος, inepte juxta ac ſpecioſe declamitans,

* Matt. 13. 52. 2 Tim. 2. 15.

ſed

ſed vir bonus & gravis, ſupellectile Theologica probe inſtructus; ſed, qualem *Eraſmus* deſcripſit & formavit, Eccleſiaſtes revera facundus, Sacerdos Parœcialis, προς παν εργον αγαθον εξηρτισμενος.

Ut ut vero hæc fuerint, uſque dum commodiora vobis adjumenta acceſſerint, interim mihi eſtis cohortandi, ut præſentibus, quæ quidem haud fruſtra exhibentur, inſtitutionibus recte utamini. Non vobis ſtudiorum Materies, non incitamenta deſunt; ipſi modo vobis, ne unquam defueritis, cavete.

In ſumma, ita ſtudiorum vitæque rationem componite, ut Deo placere & reipublicæ aliquando prodeſſe poſſitis. Ita demum *Samuelis* noſtri quas laudavimus virtutes æmulemini, ut præclaro illo, quod illi perhibitum accepimus, teſtimonio unuſquiſque veſtrum haud indignus videatur: ſc. *Puer Samuel pergebat creſcere, & gratia valebat tum apud homines, tum apud Jehovam.*

APPENDIX.

SENTIO in materiem me incidiſſe ardui ſane momenti, neque tacendam neque dicendam ſine cura: ideoque, ut a dictis abſit invidia, orationem eſſe mihi hac in parte præmuniendam, ſententiam diſtinctius explicandam, cautiuſque defendendam. "Deſideratur nempe "ſpecialis aliqua inſtitutio & præceptio quæ Pro-"phetarum filios ad officium Paſtorale obeun-"dum aliquanto inſtructiores efficiat." — *Qualis* autem illa eſſe debet & *unde* ſubminiſtranda, ſi quæras, rem omnem paulo altius repetitam ſic mecum cognoſce.

Scias imprimis aliam in Academiis nunc eſſe, quam quæ ſæculis ſuperioribus olim fuit, ſtudiorum atque diſciplinæ rationem. Non jam undique ad *Scholas publicas*, non ad Profeſſorum cathedras concurritur: non jam ex ipſorum prælectionibus & diſputationibus hauritur quicquid eſt ſcientiarum. Jamdiu exolevit illa olim laudabilis publice prælegendi conſuetudo; &, cum audien-

audientium ſpe ſtudioque, Prælectorum induſtria ſimul conſenuiſſe videtur. Omnis iſta præceptio ſyſtematica, & quidem ut plurimum ſcholaſtica, qua majores noſtri gaudebant, in deſuetudinem prorſus abiit. Imo quidem & Diſcipuli noſtri ab operoſa iſta & ſervili ſyſtematum diſciplina uſque adeo abhorrent, ut extra ordinem ſine duce vagari & errare malint, quam ex præſcripto ſapere, & theologiæ ſynopſin aliquam prælibare.

Quid porro autem? nullane intra *parietes privatos* in Collegiis, & quidem Theologorum, inſtitutio Theologica celebratur? quid ibi Prophetæ inſigniores? nonne illi ultro ſibi filios aſciſcunt ſuos, & diſcipulos, ad virtutum conſimilium æmulationem tum præceptis tum etiam exemplis formandos? — Eſt illud ſane in promptu: — & foret profecto illud optandum maxime, quod Eccleſiæ prodeſſet maxime. Sed diſciplinam talem fruſtra quærimus. Antiquam vero illam, quæ in prælectionibus publicis ſive exercitationibus ſcholaſticis unice verſabatur, fructu ſuo & gratia deſtitutam prorſus obſoleviſſe video.

Quid interim a *Præceptore domeſtico* reſtat expectandum? profecto quid illius cura efficere potuerit in univerſum pro certo ſtatuere non auſim: at vero unum illum omnibus ſufficere non poſſe facile intelligo; & proinde hac in parte ſpecia-

cialem præceptionem atque diſciplinam deſiderari.

Ut ut vero iſthæc fuerint, id ipſum, de quo querimur, malo fato noſtro contigiſſe ſentio: nempe Theologiæ ſtudia, quibus nihil gravius ſanctiuſve, cum præceptionibus neque publicis neque privatis pro merito ſuo dirigantur, fluctuare prorſus & in incerta ferri; & hac ardua in re præter fas æquumque adoleſcentium noſtrorum ingenio atque libidini nimium permitti. — Tantamne vero rem tam negligenter agi? — & illam ſcientiarum principem, cui cæteræ omnes famulantur, την τεχνων τεχνην και επιςημων επιςημην, apparatu ſuo & ſatellitio deſtitutam quorumlibet quaſi impuris manibus invadendam objici? hoccine eſt credibile aut memorabile? — Artes quidem cæteræ, tum liberales tum etiam Mechanicæ, dignitatem ſuam quaſi præmunitam tuentur, nec niſi diuturno labore & exercitatione ſe expugnari patiuntur. Non Chirurgiam, non medicinam exercet, niſi qui ſub alicujus Magiſtri auſpiciis artis præcepta didicerit, niſi qui in corporis humani anatomia, in materie medica exploranda & adhibenda aliquandiu fuerit verſatus. Non itidem in Foro cauſas agit, niſi qui juris conſultorum inſtitutis atque doctrina imbutus, niſi qui & meditatione domeſtica & uſu forenſi aliquam & juris peritiam & di-

cendi facultatem fuerit aſſecutus. Neque vero agmen ducit Centurio, niſi qui ſub imperatore aliquo ſtipendia meruerit, conſiliis militaribus aptoque armorum uſu exercitatus, & ad diſcrimen omne præparatus. —At vero Artifex Theologicus — at Juris Divini conſultus — at Miles Chriſtianus — fine inſtitutione debita, ſine diſciplina, ſine exercitatione prævia, uno quaſi impetu facto, ad officia momenti longe graviſſimi adminiſtranda fidenter accingitur. — Atqui profecto, ſiqua omnino in re, in hac præſertim cautius erat agendum: illius certe ſpecialis dignitas tum etiam difficultas ſpecialem quandam & majorem ſolito προπαρασκευην poſtulabat. Imo ſane, inquis: at vero illam haud ſemper recipit adoleſcentis Academici, qualis fere ſolet eſſe, conditio. Quid enim Ille? cum jam in philoſophiæ curriculo quadriennium rite confecerit, illico votorum compos exit Artium Baccalaureus: quid deinde? per unum fere atque alterum annum ruſticatur: ibi ſtudiis vacat omnibus, forſan & nullis: interea pro Prophetarum filio vix agnoſceres. Jamque tandem, quando ætas patitur, ſubigitque fortaſſe res anguſta domi, inter Theologiæ ſtudioſos nomen profitetur ſuum: teſtimonio facile parabili commendatus Ordinum ſacrorum candidatus accedit; initiatur: Curam Paſtoralem ſuſcipit; in Roſtra, in celebritatem

britatem prodit rudis ille & αυτοδιδακτος, jam populi præceptor reverendus, non is, qualis esse debuit, non certe Evangelicus ille οικοδεσποτης, e locuplete penu instrumenta theologica vetera simul & nova depromens usibus variis accommodata, προς διδασκαλιαν, προς ελεγχον, προς επανορθωσιν, προς παιδειαν την εν δικαιοσυνη.

Quæ cum ita sint, desine mirari, si in tanta hominum Clericorum frequentia tam pauci re vera Thologi reperiantur. Quin potius mecum dispice quænam media ad illum quem appetimus finem aptissime conducant: ut nempe institutione quadam theologica imbutus, & ingenii morumque conformatione exercitatus, noster hic Prophetarum filius ex Academia in Ecclesiam prodeat tanto nomine non indignus.

Το μεν ουν επιτιμαν, ισως φησαι τις αν, ραδιον και παντος ειναι· το δε υπερ των παροντων ὁ, τι δει πραττειν αποφαινεσθαι, τουτ' ειναι συμβαλε. Quare sententiam hanc nostram qualemcunque sive problema quoddam a viris sapientioribus dijudicandum, forsan & refingendum, in medium profero, hæc insuper *Demosthenica* præfatus: και νυν ὁ λεγει τις τα βελτιστα; ανασας αλλος ειπατω· μη τουτον αιτιασθω· ἑτερος λεγει τις βελτιω; ταυτα· ποιειτε αγαθη τυχη.

In Collegiis singulis quisquis Theologiæ nomen dederit per annum integrum, antequam ab Aca-

Academia diſceſſerit, aut Ordinum ſacrorum Candidatus prodierit, Prælectore aliquo publico ſtudiorum duce morumque informatore uti teneatur, & ſub illius auſpiciis Theologiæ curſum qualemcunque ſyſtematicum εν συνοψει conficere: ita ut hiſtoriam univerſam Biblicam, Evangelica dogmata fidei, præcepta moralia ſive Ethicam Chriſtianam, &, quæcunque demum in genere homini theologo ſunt ſcitu maxime neceſſaria, in promptu habeat perſpecta & explicata. Atque inſuper ut, præter hanc theologiæ notitiam *generalem*, inſtitutio quædam *ſpecialis* adhibeatur, quæ Provinciæ, quam eſt ingreſſurus, Paſtoralis membra ſingula variaſque adminiſtrationum artes deſignet; atque adeo operis ſuſcepti dignitatem cum difficultate ſimul & periculo conjunctam proponat; ita ut hic noſter præmonitus ſibi caveat ad omnia præparatus & præmunitus; ut miles hic noſter in aciem prodeat non rudis & diſciplinæ militaris imperitus, ſed habilis & idoneus, armorumque uſu exercitatus, per omnia docilis idem & διδακτικος; diverſo in genere ſcribendi, legendi, prælegendi, orandi, perorandi facultate non fruſtra verſatus; ſine Rhetoricæ artificio orator, ſatis habens de re qualibet ſubjecta apte, diſtincte, graviter dicere; & illud demum aſſecutus, ut omni in parte το πρεπον & decori ſpeciem tueatur; ita ut adminiſtrationibus ſuis

ſuis quibuſcunque fructus uberior atque gratia accedat.

En, qualem eſſe volumus, Prophetarum filium! illum ita inſtitutum & formatum, atque inſuper Præceptoris ſui de ipſo quid ſentiat publice profitentis teſtimonio ſingulari commendatum Epiſcopo ordinandum libenter tradimus. Et profecto præclarum quiddam rei publicæ polliceri videtur hæc inſtitutio: adoleſcentibus noſtris in hanc palæſtram evocatis excitabitur quicquid eſt ingenii & induſtriæ, ſive æmulationis ambitioſæ: præcidetur illa Epiſcoporum querela rudes & ἀμυήτους aliquando ſibi obtrudi: ἀξίωμα ſuum Academia tuebitur inviolatum, non vano nomine theologorum nutrix: jure demum triumphabit Eccleſia, Paſtores magis idoneos ſortita, qui ſibi & præſidio fuerint & ornamento.

Ubinam vero reperietur ille, quem quærimus Theologiæ Præceptor? id ipſum, quod eſt in promptu, haud facile dixerim: nihil profecto tam prope tam proculque — Hæc adeo mecum inſuper cognoſce: extitiſſe quidem in Collegiis pleriſque diſciplinam aliquam theologicam jam olim primitus inſtitutam: ſed, pro temporum ſuperiorum ratione, figuræ & coloris ut plurimum Scholaſtici, ad ſubtilis cujuſdam artificii oſten-

oſtentationem potius quam ad uſus communes comparatam.

At vero exolevit, inquies, iſthoc Prælectionum genus: quid ergo? utcunque adminiſtrationum *Modi* immutentur, at ſtudiorum *finis* idem manet appetendus; non ideo eſt inſtitutio ipſa penitus extinguenda, ſed in melius dirigenda, ita ut pro ratione temporum accommodata utilitatibus publicis inſerviat. Prophetam futurum ſive Theologum inſtitui & formari volumus: Præceptorem idoneum quærimus; non quidem Philoſophum, non Scholaſticum, ſed potius Catecheticum, ſed popularem & διδακτικον· in genere demum πανλα γενεσθω προς οικοδομην· adeoque quicquid eſt præceptionum ſermone, non Latino, ſed vernaculo proferatur plenius atque diſtinctius a Catechumeno percipiendum. Et, quoniam hac in parte magna eſt Exempli vis, recole mecum laudabilem illam diſciplinam ſyſtematicam, quam in Collegio *Baliolenſi Oxon.* *Busbeius* ille *Weſtmonaſterienſis* præcepit: ſcilicet ille auctor graviſſimus præcipua theologiæ capita, ordinata ſerie digeſta, publice coram catechumenis triginta prælectionibus, nec indotatis quidem illis, ſolenniter explicanda præſcripſit. Utinam profecto ut, quæ *Baliolenſibus* profuit, eadem ubique inſtitutio vigeret, univerſis itidem profutura.

Liceat

Liceat interim id ipſum quod deſideramus votis ſaltem deſignatum captare: ut nempe adoleſcentium gratia qui theologiæ nomen dederint, in his Literarum, & quidem ut plurimum theologicarum, ſedibus *ſpecialis* aliqua diſciplina atque præceptio inſtituatur, non ab homine curis abunde cæteris occupato non a Tutore quodam *generali* ſed a Præceptore aliquo *ſingulari*, ad id muneris rite evocato, conſtanter adminiſtranda: ex hujuſmodi Schola Theologica in Eccleſiam aditus pateat, & μηδεις αμυητος εισιτω. Hæc ipſa ingeniorum exercitatio theologos aut inveniet aut faciet: nec ad Diſcipulum modo, ſed etiam ad Docentem doctrinæ ſuæ fructus uberior redundabit: amplificabitur uſque communicata ſcientia, & de lumine luminis accenſi copioſior emanatio propagabitur. Profecto quæ res ipſa fert commoda neutiquam negligi velim; neque in tanta theologorum frequentia theologiæ ſcientiam languere & intercidere. Illud certe maxime optandum video ut, qui eruditione & autoritate pollent maxime, iidem adoleſcentium ſtudiis intereſſe & præeſſe dignarentur: nihil fere ab illis præſtari poterit vel ad nominis theologici famam præclarius, vel ad uſum communem fructuoſius. Neque ſane quidquam æquius videtur, quam ut illorum moribus atque ingeniis hac in parte formandis curam aliquam publicam impen-

impenderent, quos teſtimonio ſuo publico Epiſcopis rite commendatos dimittunt.

Quid reſtat denique? ſiquidem in Collegiis ſingulis id quod volumus commode effici nequeat, cum hic deſint incitamenta idonea, illic forſan impedimenta quædam objiciantur, videamus porro quid in *Academiæ* luce publica fieri poſſit aut debeat. Et hac forſan in parte magna quædam nobis polliceri videtur nomen ipſum; ita ut in hac ſcientiarum Univerſitate nihil prorſus deeſſe queramur. Quid vero hic rerum agitur? aut quo ſe vertat Prophetarum filius? adeat Scholas publicas: nimirum hic frigent homines. Quid enim aliud animadvertit quam *Diſputationes Scholaſticas*, aut forte *Prælectiones*: in illis rara cernitur ingeniorum conflictatio; in his longa deſuetudo & ſilentium. Itane vero comparatur hæc aut illa Diſciplina, ut theologum futurum ſcientiæ opibus idoneis probe inſtructum reddat & expeditum? πολλα γε και δει — Quid porro ſupereſt? adeat Templum *B. Mariæ Concionum publicarum* Auditor. Non penitus fructu caret ſuo hæc diſciplina: erit forſan aliquod ex hac Meſſe ſpicilegium; erit quod ex eloquentia ſive ſapientia aliena ad uſus ſuos transferat. Et hac quidem in parte rei publicæ noſtræ fortunas gratulor, quæ præclara ingeniorum lumina protulerit ita ut, ubi theologiæ præceptiones idoneæ

non

non adminiſtrabantur, ibi ſaltem eximia theologorum exempla non defuerint. — Quonam alio publico de fonte ſcientia theologica hauriri poſſit haud facile dixeris.

Age vero, jam ſingula circumſpiciens penſitanſque, quid de ſumma rerum ſtatui oportet vide. Siquidem, uti ſupra diximus, inſtitutiones priſtinæ obſoleverint & gratia & fructu ſuo deſtitutæ, quid prius potiuſve optandum habes, quam ut novæ quædam magis idoneæ ſubſtituantur, pro temporum ratione, ad Finem quem appetimus accommodatiores; quarum ope Prophetarum hic filius noſter ad officium Paſtorale adminiſtrandum multo inſtructior accedat: *ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος.*

Facile quidem omnes ad id, quod deſideramus, indicandum ipſo inopiæ ſenſu ducimur: neque vero eſt quod quorum remedium quærimus, ea diſſimulentur incommoda. Imo vero boni Civis eſſe arbitror, quæcunque reipublicæ ex uſu fore ſentit ea ſimpliciter in medium proferre; ut, ſiqui in diſciplinæ variabilis decurſu inciderint defectus ſupplendi, vel errata corrigenda, videant Academici, qua potiſſimum in parte & ſapientiæ & autoritatis publicæ ſumma vis exeri debeat, in qua & dignitatis ſuæ famam & Eccleſiæ utilitates contineri intellexerint.

Hac mente problema noſtrum qualecunque ſive deſiderium proponimus: ut in Academiis theologiæ non tam artificialis & ſcholaſticæ quam rationalis, ut ita dicam, & popularis Præceptor aliquis publicus conſtituatur, qui theologum futurum, qualem eſſe volumus, probe formatum reddat: atque adeo ut adoleſcentes, qui theologiæ nomen dederint, per annum integrum illo ſtudiorum duce utantur, ſub illius auſpiciis in exercitationum theologicarum, quas res ipſa tulerit, vario genere verſati, illius demum teſtimonio commendati Ordinum ſacrorum Candidati accedant.

Imo vero, inquies, problema ſatis ſpecioſum! ἡ δὲ παρασκδη αυτη τις, και ὁποια, και ποθεν ἡ τροφη γενησεται, τδ' ηδη σκεπτεον ——

Utinam profecto tam eſſet illud in promptu oſtendere, quam deſiderata proponere! At vero non præterita modo ſed noviſſime facta recolentem nihil non fere ſperare jubet bona Academiæ noſtræ Fortuna. Quid enim? an Theologiæ apud nos conditionem Juris Municipalis conditione deteriorem cenſes? niſi eo forſan nomine quod laudis ſuæ præconem ſortita fuerit deteriorem. Ecquis vero, qui in his Literarum ſedibus adſcititia Legum *Anglicanarum* ſtudia tam uberibus præmiis excitari & foveri viderit, legum interim *divinarum* culturam frigere prorſus negligique

ligique poſſe, aut ſimilem Patronorum Munificentiam theologiæ ſtudiis longe præclarioribus promovendis non aliquando adfuturam crediderit? profecto, ſiquidem rerum pro dignitate ſua habeatur ratio, primas ſuas uſque tuebitur Theologia; nec unquam aut cultoribus aut fautoribus ſuis deſtitutam fore confidimus.

Sit felix Academiæ fauſtumque iſthoc recens *Vinerianæ* inſtitutionis omen! poſteriſque profit Exemplum Munificentiæ, qualem aliquando & ad Theologiæ ſtudia derivari poſſe ſperamus. Et profecto non fruſtra triumphare videtur Juriſprudentia noſtra *Anglicana* tum civitate Academica tandem donata tum etiam Profeſſorem nacta, cujus in laudibus ſingulare quiddam eminet, quod cæteris pleriſque ordinis ſui hominibus aut documento fuerit aut opprobrio. Proderit certe illud ingenii & induſtriæ exemplum laudabile, unde & rebus obſcuris ſplendorem, indigeſtis ordinem, obſoletis gratiam affundi vidimus: quod quidem ad rem noſtram haud incommode transferri poſſe intelligimus, ita ut, qualem ille in Juriſprudentiæ ſuæ inſtitutionibus adminiſtrandis ſibi præſtituit, talis itidem, quæ Divini Juris elementa analytice deſcripta & explicata proponeret, in præceptionibus theologicis diſciplinæ ratio adhiberetur. In ſumma, rem noſtram Theologicam quoquo modo promoveri volu-

volumus: ſtudiorum ſubſidia maxime idonea quærimus; imo & incitamenta debita votis ſaltem ſpeque præſumimus.

Atqui, inquies, quorſum hypotheſis hæc precaria? aut qualis ille prædicatur ſine ſtipendio miles, ſine mercede Præceptor? quin potius, ſi quidem Patronorum munificentia aliunde conferenda defuerit, quid opibus domeſticis propriiſque freta efficere poſſit Academia, videamus. — Imo vero id ipſum jam quæro. περὶ δὲ χρημάτων πόρου — ἐστιν, ὦ Ἀνδρες Ἀθηναῖοι, χρήματα ὑμῖν, ἐστιν οὐκ ὀλίγα μηδενὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων στρατιώτικα· ταῦτα δὲ, ὡς βούλεσθε ὑμεῖς, λαμβάνετε· Non ſane inſtitutionum ſaluberrimarum norma, non facultates vobis, Academici, deſunt: ipſi ne vobis deeſſe videamini cavete. Encyclopœdiæ quidem veſtræ ſchema quoddam magnificum oculis obverſatur, manibuſque paſſim jactatur: præceptiones quidem video publicas in omni fere ſcientiarum genere inſtitutas; quin & ſtipendia inſuper ſatis ampla nonnullis tributa: πάντα δὲ ὑμεῖς, ὡς βούλεσθε, λείπεσθε, paratiores nempe accipere ſtipendia, quam mereri. Itaque in ſcholis ubique mira ſolitudo & ſilentium: Prælectiones fere omnes publicas intercidere facile patimini. Quidni autem, inquietis, cum illæ jam aut prodeſſe aut placere deſierint? — rectene ſit hoc a vobis factum an ſecus, ipſi videritis. Liceat interim

interim mihi de inſtitutionibus pleriſque veſtris pro more meo, quæ ſentiam, libere pronuntiare. Equidem ita de illis ſentio, ut, ſi modo bona fide ſeduloque adminiſtrentur, nec prorſus infructuoſas nec injucundas eſſe exiſtimem: neque vero ullam in Encyclopœdia veſtra materiem adeo ſterilem & jejunam eſſe, ut non ex ea præclarum quiddam elici & elaborari poſſit. Non in Rhetorica modo oratorum elegantias ſplendidiores, verum etiam in Logica & Metaphyſica curioſas hominum Scholaſticorum ſubtilitates, imo & in Grammatica tenuiores Criticorum argutias probe explicatas & ventilatas audire non pigebit. Imo vero, quacunque in re Prælectorum ingenia cum laude exercitantur, ibi demum neque Auditorum frequentiam aut ſtudia defore reor. Quoties igitur audio iſthoc τοῦτο τίνι ὠφελήσει *cui bono fuerit*, toties ſubit regerere imo & tibi, ni ipſe tibi defueris; tu interim ſatis habe ἐν τῇ τάξει τὰ δέοντα πράττειν. At ſcholaſtica fere omnia jam obſoleviſſe, inquies, ſcilicet ornatum quendam novum materies obſoleta poſtulat; ergo ille magis idoneus & popularis ſubſtituatur: utcunque pro faſtidiis hominum præceptionum modi ſæpe varientur, at inſtitutio ipſa ne prorſus intercidat vide.

Quod ſi ita res tulerit ut hic prælectionum minorum plebeius ordo evileſceret, & tanquam in-

inutilis rejiceretur, quid tum deinde? videte illud quod a * viro clariſſimo jactatum accepimus problema, nempe ut ex iis omnibus, quaſi diſſolutis & abſorptis, nova quædam & utilior præceptio, Theologiæ ſtudioſorum uſibus accommodata, conflaretur.

Si vero iſthoc vobis minus placuerit, liceat poſtremo, quæ ad rem noſtram theologicam propius ſpectant, pauca quædam ſubmonere. Theologiæ in Academia Profeſſores publicos video duos: Imprimis Regium illum, quem quidem, cum præter Prælectiones ordinarias præſcriptas, Diſputationibus theologicis & Præſentationibus ad Gradus intereſſe teneatur, dignitate ſua uti & gaudere facile patior; neque illi, ſatis jam honorifice occupato, quidquam oneris inſuper imponendum cenſeo. Illud interim unum adjicere libet, quod quidem literaturæ Academicæ cauſa optandum video, ut ſub illius auſpiciis quicquid diſciplinæ ſcholaſticæ ſanioris ſupereſt, conſervetur uſque & in melius promoveatur: ut, quicquid eſt in Diſputationibus theologicis atque etiam ſubtilitatibus Metaphyſicis ingeniorúm concertantium exercitationis, id omne adeo non langueat vel intercidat, ut etiam acrius excitetur vigeatque: ita ut, ubicunque res poſtulat, mi-

* *Humph. Prideaux*, S.T.P.

les

les noſter Theologicus omni armorum uſu exercitatus in aciem prodire poſſit.

Profeſſorem alium video ex inſtituto *Margaretæ* Comitiſſæ de *Richmondiâ* illum potiori titulo *veſtrum*, veſtris, Academici, ſuffragiis creatum, non perpetuum & immobilem, ſed de biennio in biennium conſtitutum. Quorſum hæc? ut nempe, cum intelligat ab arbitrio veſtro fortunas ſuas pendere, eo impenſius ſibi elaborandum eſſe ſentiat, ut omni in parte votis & expectationi veſtræ ſatisfaciat. De illo autem quid dicam?—*αξιω δε ὑμας, αν μετα παῤῥησιας ποιωμαι τους λογους, ὑπομιμνειν, ταυτα θεωρουντας ει μονον τ' αληθη λεγω, και δια τουτο τα λοιπα βελτιω γενηται· ὁρατε γαρ, εκ του πως χαριν δημηγορειν, εις παν προεληλυθε μοχθηριας τα παροντα πραγματα.* Siqua omnino in cauſa, in hac certe merito quæri poterit *cui bono* Profeſſor ille *fuerit*. Quid enim negotii publice adminiſtrandum habet? nihil ſane video præter Prælectiones in Scholis ordinarias; quæ ſentio quam ſint plane nullæ. Video interim ſtipendia ſatis opima, haud ſane incongruam ſtudiorum mercedem: maxime vellem ut ex hac parte aliquis ad rem noſtram theologicam fructus redundet, ut illius opera, quæ fere nulla jam impenditur, uſibus noſtris ſubſerviat. Quid autem? quidni, Academici, velitis jubeatis ut hic Profeſſor, qui totus eſt veſter, cum primario illi

illi quaſi ſuccenturiatus ſubveniat, quæcunque alibi deſiderantur ſupplere ſtudeat; atque adeo ut, pro Prælectionibus uſitatis forte vel obſoletis, nova quædam præceptionum theologicarum forma adhibeatur, illa, nempe qualem ſupra deſcripſimus, popularis, & Catechetica potius quam Scholaſtica, & πρὸς οἰκοδομὴν accommodata: ut demum Theologis futuris ſingulis & univerſis erudiendis & formandis hic Veſter invigilet, efficiatque ut aliquanto inſtructiores in Eccleſiam Prophetarum filii evocentur. —— De adminiſtrationis methodo præſcribenda ipſi aliquando ſtatuetis: illud modo ſubmonere liceat commodiorem nullam videri illa nuperrime ſancita, quam in Juriſprudentiæ Anglicanæ prælectionibus ſibi præſtituit Profeſſor *Vinerianus*: — imo quidem & veſtro ſimiliter merenti ſimilia accedant præmia! —— τι ἂν ἀν τις εἰποι, οὐ γράφεις ταυτα εἶναι σπαθωλικα; μα Δι' ὃκ ἐγωγε· ἐγω μεν ἂν ἡγεμαι σπαθωτας δειν κατασκἀαδηναι, και ταυτ' εἶναι σρατιωτικα· και μιαν σωταξιν εἶναι τῶν αὐτην τε τε λαμβανειν και τε ποιειν τα δεοντα. — ὑμεις δε ἀτως πως ἀνευ πραγματων λαμβανετε εἰς ἑορτας. Ergone videor Profeſſori veſtro ſtipendia ſua invidere? nequaquam, niſi militiam detrectanti vel tergiverſanti. Imo vero bene merenti amplius etiam augere velim. Sed quid interim afferri poterit hac poſtulatione noſtra æquius μιαν σωταξιν εἶναι

τῶν

την αυτην τε λαμβανειν και τε ποιειν τα δεοντα? hoc certe nemo civis bonus recuſaverit: nedum ille, qui perſonam ſuſtinet publicam. Nihilne vero in Profeſſore veſtro præter nomen ſpeciemque quandam dignitatis requiritur? itane Vos, ὡσπερ οἱ πλατθοντες τες πηλινες εις την αγορην, χειροτονειτε τες ταξιαρχες και φυλαρχες, ουκ επι τον πολεμον? Abſit ut Vobis hoc nomine quidquam imputetur: quin potius id efficite, quod & ſuadet ipſe erga Fundatores Patronoſque pietatis veſtræ ſenſus, ut officio quiſque fungatur ſuo, &, quam profitetur, artem ſedulo exerceat: ἑκαστος ὑμων ὃ δει και δυναιτ' αν παρασχειν ἑαυτον χρησιμον τη πολει πασαν αφεις την ειρωνειαν.

Quærat quiſpiam cur *Margaretæ* Profeſſori veſtro hoc quicquid eſt negotii demandandum exiſtimem? quia ſane homine illo commodiorem haud video ullum: quippe theologum, in facultate ſua verſatiſſimum, ita conſtitutum ut primario illi εν προσθηκης μερει ſubſerviat; tum otio magis abundantem, ita ut hujuſmodi curis vacare poſſit; tum denique, quia totus Veſter eſt; ſi officio ſuo & expectationi veſtræ defuerit, amovendus, ſi vero ſatisfecerit, etiam præmiis ornandus.

Non ſane hoc in loco prætereunda mihi eſt illa *Patroni reverendi ex teſtamento non ita pridem legata munificentia ſingularis, unde ali-

* J. Bampton nuper Eccleſ. Sarisberienſ. Canonici.

quando ad rem theologicam haud mediocre incrementum acceſſerit: cum interim prælectionum futurarum dotationem adeo amplam inſtitui ſentiam, fas ſit votis ſaltem concipere ut aliquid ſubſidii ex hoc fonte derivatum ad uſus noſtros transferri poſſit.

Summa dictorum huc redit: quæ ad rem theologicam & officium Paſtorale ſpectant, in inſtitutionibus Academicis deſiderata quædam annotavimus: ſubſidia undecunque conferenda quæſivimus: quæ maxime commoda & idonea videbantur ea libuit commemorare: rem in medio poſitam relinquimus, eorum, qui plus & ſapientia & autoritate pollent, arbitrio dijudicandam. Hæc interim a me, quiſquis es, Lector, bono erga Academiam & Eccleſiam animo dicta intelligas: nihil profecto in quo illarum dignitas atque utilitas continetur, de Prophetarum filiis verba faciens, diſſimulandum exiſtimavi. Εγω μεν ϰν, ϰτ' αλλοτε πωποτε προς χαριν ειλομην λεγειν, ὁ τι αν μη ϰαι σωσοισειν υμιν πεπεισμενος ω· νυν τε ἁ γιγνωσϰω, παντ' ἁπλως, ϰδεν ὑποϛειλαμενος, πεπαῤῥησιασμαι· εϐϐλομην δ' αν, ὡσπερ ὁτι υμιν συμφερει το τα βελτιϛα ἀϰουειν οιδα, ϰτως ειδεναι σωσοισιν ϰαι τα τα βελτιϛα ειπονλι· πολλα γαρ αν ῆδιον ειπον. νυν δ' επ' ἀδηλοις ϰσι τοις απο τϰτων εμαυτω γλωσομενοις, ὁμως επι το σωσοισειν υμιν, εαν πραξητε ταῦ]α, πεπεισμαι, λεγειν αἱρϰμαι. νιϰωη δ' ὁ τι πασιν υμιν μελλει σωσοισειν.

FINIS.

De Fundamentalibus

DISSERTATIO THEOLOGICA.

SIVE

Concio ad Clerum *Londinenſem*

HABITA IN

ECCLESIA S. *ELPHEGI*,

Maii 11. 1756.

A *JOHANNE BURTON* S.T.P.
Collegii *Etonenſis* Socio,
Olim C. C. C. *Oxon.* Soc.

OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO.
Proſtat ap. JACOBUM FLETCHER, *Oxon.*
JAC. RIVINGTON & JAC. FLETCHER,
in vico *Pater-noſter-row*, *Londini*.
MDCCLVI.

Imprimatur,

GEO. HUDDESFORD,

Vice-Can. *Oxon.*

Junii 21. 1756.

REVERENDO PRÆSIDI

ET COLLEGII *SIONENSIS* SOCIIS

CLERO *LONDINENSI* UNIVERSO

HOC QUICQUID EST

SIVE CONCIONIS SIVE DISSERTATIONIS

IN LUCEM PUBLICAM

IPSORUM JUSSU EVOCATUM

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

D. D. D.

JOHANNES BURTON.

L. S.

RES ipsa admonet ut pauca quædam præfarer, quibus & Clero Londinensi gratiæ à me referrentur, & aliqua orationis tam prolixæ excusatio adhiberi posset. Verum enimvero eorundem legentium patientia facile abuti posse videar, à quibus ultra præscriptum clepsydræ decursum tam patienter & benigne fuerim auditus.

Siquis forte quærat cur in molem tam operosam scribenti materies excreverit, sciat hoc fuisse factum à me sedulo, tum ut rei subjectæ, quâ quidem nihil habet Theologia gravius sanctiusve, dignitati amplificandæ non prorsus deesse viderer, tum etiam ut brevitatis concinnioris efficiendæ laborem ipsum defugerem. Neutiquam enim est dissimulandum hoc qualecunque vostrum, quod nunc Concionis nomen formamque præ se fert, non aliud quiddam esse quam illarum, quas paucis abhinc annis pro Doctoratu in schola Theologica habueram, sex solennium Prælectionum *summam: quas sane eo libentius in lucem publicam prodire patior, ut aliquis institutionum Academicarum fructus conspici possit; utque porro mei erga Almam Matrem studii atque observantiæ aliquod testimonium extaret homine vere Academico non indignum.*

Quicunque huic reipublicæ nostræ literariæ bene cupiunt illud saltem esse optandum vident, ut, quam verbis magnifice prædicant, disciplinam eandem e-

tiam re ipſa & exemplo ſuo commendarent, nec per deſuetudinem intercidere, nec à faſtidioſis impune contemni, nec ab ignavis eludi paterentur: ut demum Exercitia, *quæ ſingulis rite præſtanda præcipiuntur,* publica *tantæ nominis ſui dignationi reſponderent, — ut cum æmulatione quadam atque ambitioſe celebrarentur — nec ſolitudine & ſilentio deſertæ langueſcerent ſcholæ,—ſed ut Roſtris quibuſcunque lumen affunderet Auditorum frequentia & expectatio; ita ut quiſque pro ingenii ſui modulo aliquid homine Academico dignum proferre eniteretur. — Liceat hæc ſaltem optanda indigitare, cum in his recte adminiſtrandis veram* Graduum *Academicorum dignitatem pretiumque contineri ſentiam. Mea quidem olim in hac civitate noſtra quæ fuerint* πολιτευματα *haud piget meminiſſe, cum meminerim me ſalubrioris diſciplinæ vindicem ſemper affuiſſe conſiliis, autoritate, exemplo: ita ſemper animatum, ut honorem atque utilitatem publicam privatis rationibus meis quibuſcunque antepoſuerim. —Vereor ne ipſe de me videar arroganter dicere, dum pro Academia dicam pie: hæc tamen, cum à me bono animo dicta eſſe ſentias, ipſe itidem animo perinde bono accipies; nec edentis conſilium reprehendes, qui* Diſſertationem *hanc* Theologicam, *cui in ſcholis rarus interfuit Auditor, tibi nunc legendam exhibeo.*

1 *Cor.* III. 10, 11.

Κατα την χαριν τυ θευ την δοθεισαν μοι, ως σοφος αρχιτεκτων, θεμελιον τεθεικα· αλλος δε εποικοδομει· ἑκαστος δε βλεπετω πως εποικοδομει. Θεμελιον γαρ αλλον ουδεις δυναται θειναι παρα τον κειμενον, ὁς εστιν Ιησους ὁ Χριστος.

Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, ut ſapiens Architectus, fundamentum poſui; alius autem ſuperædificat: unuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificat. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.

AUDITE *Paulum*, Fratres reverendi, hæc de ſe non magnifica magis quam vera prædicantem; & ea quidem, quæ ad rem veſtram pertinere intelligantur, Theologorum auribus & meditatione imprimis digna: ſuas enim in Eccleſia adminiſtrationes

Paulus ita deſcriptas exhibet, ut Evangeliſtæ Chriſtiani officia vobis indigitet præcipua & fundamentalia, non ſolum præceptionibus ſuis explicata & definita, ſed etiam exempli præeuntis lumine illuſtrata.

Nequid vero ad rei ſubjectæ intellectionem pleniorem deſiderari videatur, de hac *Pauli* ad *Corinthios* epiſtola, de ſcriptionis occaſione, & ſcribentis conſilio libet pauca quædam præfari.

Illud adeo imprimis mecum recognoſcite, quod inter Apoſtolorum Acta cap. 18. de *Paulo* memoratum legimus; *Athenis* nempe digreſſum *Corinthum* commigraſſe, atque ibi aliquandiu commoratum conſediſſe, εκαθισε τε ἐνιαυτον και μηνας ἑξ διδασκων εν αυτοις τον λογον τȣ θεȣ. Facile credamus illum ad Gentes Apoſtolum, cui demandata erat Eccleſiarum fere omnium cura, uno in loco tantum temporis haud fruſtra poſuiſſe; & certe opus hoc admonitu afflatuque divino ſuſceptum & adminiſtratum neutiquam fructu ſuo caruiſſe videbatur; imo vero & prædictionis divinæ fidem, & auſpicatiſſimum *Pauli* miniſterium ipſe rei exitus comprobavit; διοτι εγω ειμι μεται σȣ, και λαος μοι εϛι πολυς εν τη πολει ταυτη.

Eſt id porro de [a] *Corintho* notandum, quod, inter *Achaiæ* urbes principem locum tenens, tum omni commeatus genere tum etiam mercium li-

a Κορινθος εϛι μεν νυν πολις της Ελλαδος ἡ πρωτη· πολλοις δε τ πλαιον πλεονεκτημασι βιωτικοις εκομα, και των αλλων παντων εν τῃ των χρηματων περιȣσιᾳ· διο και τις των εξωθεν συμφορων αφειτον εχαλει το χωριον. Εν γαρ τῳ Ισθμῳ κειται της Πελοποννησȣ και πολλην ειχεν εμποριας ὑποθεσιν· ην δε Ρητορων πολλων εμπλεως, και Φιλοσοφων. Hæc *Chryſoſtomus*.

terariarum

terariarum copia abundaret; &, quod uſu plerumque fieri ſolet, mercaturam opulentia, opulentiam luxuries, & ingenii elegantiam morum corruptela multiformis ſubſequebatur comes; ita ut το Κορινθιαζεσθαι in proverbium plane abierit, ſenſum deliciarum exquiſitiſſimum, imo & laſciviam denotans. Illuc igitur confluebat hominum in omni genere frequentia, Artifices, Poetæ, Rhetores, Philoſophi: Roſtra, Tabernæ, Theatra, Scholæ ingeniis præclaris florebant. *Græca* gens, mire curioſa, rerum novarum & diſciplinæ fere omnis ſtudioſa, ſapientiæ haud vulgaris laudem affectavit. Minus ideo miremini ſi in civitate tali tantaque extiterit etiam *Judæorum* ſynagoga: ad illorum nempe, perinde ac cæteras Philoſophorum ſcholas auditores commeabant: ita providente Deo ut hominum etiam adverſantium opera Evangelio facilius propagando viam aperiret, & *Græcorum* animi, inſtitutionibus *Moſaicis* non fruſtra imbuti, à Religione Chriſtiana minus abhorrerent. Erat itaque *Paulo* laboris ſatis ampla materies atque merces parata: frequens adeo cum *Judæis* interceſſit diſputatio & contentio, διελεγετο εν τη συναγωγη κατα παν σαββατον, επειθε τε Ιουδαιους και Ελληνας· quid multis? — magna vis hominum ad fidem Chriſtianam converſa: και πολλοι των Κορινθιων ακουοντες επιςευον και εβαπτιζοντο. *Judæi* interim ut plurimum invidere, contra fremere, & adverſari: *Paulus* viciſſim arguere, ſuadere, obteſtari, διαμαρτυρομενος τοις Ιουδαιοις τον Χριςον Ιησουν. Cum vero ratione nulla illorum pervicaciam ſuperare potuerit, repulſus ipſos viciſſim repulit, in poſterum ſe ad

Græcos unice convertens; απο τυ νυν εις τα εθνη πρόσσομαι.

Et hæc quidem ideo à me commemorantur ut intelligatis, quod res ipſa indicat, pleraque ab Apoſtolis dicta non tam ad *Judæos* τυς χριστιανιζοντας, quam ad Proſelytos *Græcos* pertinere.

Videtis adeo fidei Chriſtianæ fundamenta apud *Corinthios Pauli* miniſterio poſita: videtis in hoc τυ θευ γεωργιω, in ſolo hoc ubere & fæcundo verbi divini ſemina fructibus ampliſſimis florentia. Verum ibi ὁ πονηρος zizania diſſeminavit. Scilicet in Eccleſia illa extiterunt ſchiſmata quædam & ſcandala, in opinionibus errores, in regimine eccleſiaſtico απαξιαι. Cum enim Apoſtolus, apud Epheſios commoratus, à *Corinthiis* jam diu abfuiſſet, irrepſerunt interea Doctores quidam novi, fundamento jam poſito nova dogmata aſtruere auſi, incongrua quidem illa & male cohærentia, ſed ad *Græcorum* hominum indolem moreſque haud inepte accommodata; nempe οι Ελληνες σοφιαν ζητουσι, at mere humanam, eam ſcilicet, quæ in eloquentiæ & philoſophiæ ſtudiis unice continetur. Quod *Paulus* ſedulo vitandum imo & contemnendum cenſuit, id ipſum hi homines ambitioſe affectabant. Erat igitur quod hâc in parte Doctores novi & arrogantes Auditoribus ſuis gratificarentur, &, quæ in *Paulo* ut plurimum deſiderabatur, Eloquentiæ facultatem oſtentarent: quod ipſum eos feciſſe Epiſtola hæc non obſcure ſignificat; & quidem ita, ut, quantum gloriolæ ſuæ accedere cupiebant, tantum de *Pauli* laudibus detraxerint. Quidam adeo, ne non eloquentiæ ſtudioſis ſe commendarent, omni artificio

artificio dicendi adhibito audientium affectibus insidiabantur: alii autem, ingenio præfidentes suo, simplicitatem Evangelicam subtilitatibus & argutiis philosophicis ornandam censebant, & dogmata divina opinionibus humanis accommodanda. Alii denique, (& hi forsan è doctioribus *Judæis)* sapientiæ cujusdam magis reconditæ & profundæ speciem prætendebant, religionis Christianæ non tam rudimenta εξωτερικα venditantes quam dogmata εσωτερικα, & philosopho dignas ακροασεις: atque adeo *Paulum* præ se contemnebant, ut Præceptorem minus idoneum, qui *Corinthiis*, non ut adultis cibum, sed, veluti adhuc infantibus, lac solum administraverit. Hi demum omnes id sedulo egisse videbantur, ut quoquo modo gratiam popularem captarent, famæ suæ, quam fidei Christianæ, propagandæ multo studiosiores.

Corinthii interim mire sibi placebant pro suo quisque ingenio Magistros tales sortiti; &, quod in Philosophorum Scholis non impune modo, sed etiam cum ambitione quâdam atque laude factitarunt, id ipsum in Schola Christiana pariter licere sibi rati, in sectas diversas abierunt; & sicut antea vel *Platonicos*, vel *Peripateticos* vel *Stoicos* appellari se voluerunt, (salva interim ipsius philosophiæ dignitate) ita nunc & in Ecclesia hunc aut illum, quem præ cæteris admirabantur maxime, sectæ Magistrum sibi asciverunt; illi se totos addixerunt, ita ut non tam Christo, quam Christi ministris nomen dedisse viderentur. Λεγω δε τουτο, οτι εκαστος υμων λεγει, εγω ειμι Παυλου, εγω δε Απολλω, εγω δε Κηφα, εγω δε Χριστου. Quid ve-

ro

ro ad hæc *Paulus?* cum ſibi ſuiſque injuriam fi
eri intelligeret, nonne illi cauſam ſatis juſtam
fuiſſe putatis ad arguendum, ad expoſtulandum
ad objurgandum? Et profecto, cum eſſet apud
ipſos fidei Chriſtianæ fundator, eo nomine haud
parum gratiæ atque autoritatis ſibi vendicat, &
pro jure ſuo obſequium & reverentiam ipſis im-
perat, affectu plane patrio ſic alloquens, ει γα
μυριους παιδαγωγους εχητε εν Χριστω, αλλ' ου πολλους πα
τερας. Εν γαρ Χριστω Ιησυ εγω υμας εγεννησα· παρα
καλω ουν υμας, μιμηται μου γινεσθε. Ita ultro ille ſe
& quidem ſine arrogantiæ crimine, ſuis com-
mendat, & dignitatem paternam animoſus aſſe-
rit; imo & pro jure ſuo paterno filios liberius
admonet, hortatur, increpat, caſtigat; &, ut
quod res eſt dicam, ad *Corinthios* ſcribentis præ-
ter ſolitum exultat oratio & ipſe triumphat ſtilus;
ut intelligi poſſit artem oratoriam non tam igno-
raſſe illum, quam contempſiſſe.

Illud interim, quod ad rem noſtram præcipue
ſpectat, annotare libet; duplicem hic afferri re-
prehenſionem, tum Populi, tum etiam Docto-
rum: tum eorum, qui hæc partium ſtudia &
προσωπολημψιαν fovebant, tum eorum, qui in Ec-
cleſiam dogmata invehebant nova, variiſque pla-
cendi artibus adhibitis gratiam popularem famam-
que captabant. Apoſtolus & Horum & Illorum
dicta atque facta coarguit, ut nomine Chriſtiano
prorſus indigna, id agens, ut omnium animis
fidei Chriſtianæ verior ſenſus ingeneretur, & ita
demum in unitate ſpiritus concordiæ vinculum
conſervetur.

Videtis

Videtis adeo hujuſce ad *Corinthios* epiſtolæ *occaſionem*, & ſcribentis *conſilium*. Videte jam porro quæ ipſe de ſe prædicat, & ſuam & diverſa molientium cauſam exponens: cavere jubet ne illorum admiratione decepti in tranſverſum eant; & de ſe, quem Parentis loco habere debuerant, ne forſan minus honorifice ſentiant, Apoſtolici muneris dignitatem & prærogativam vindicat, veritatis Evangelicæ ſive ſapientiæ divinæ præſtantiam aſſerit amplificatque, de Græcorum philoſophia atque arte humana omni triumphantem: rebus novis ſtudentium levitatem & arrogantiam caſtigat: ſuam deinde in Eccleſia fundanda fidem ſimul & ſolertiam commendat, — *quale* oportet eſſe fundamentum, &, in *quo* potiſſimum artificis Theologici cura verſari debet, commonſtrat; poſtremo in hâc re graviſſimâ cautionem adhibet, admonetque nequid à fundamento diſcrepans & alienum, nequa dogmata humana pro divinis aſtruantur. — En ergo, quæ Chriſti Miniſtris uſui ſint documenta, ex iis quæ modo prælegimus verbis elicienda.

I. Imprimis itaque diſquiſitio inſtituetur de Fundamento hoc Paulino, *quale* illud ſit — & *quouſque* pateat.

II. Deinde de *ſuperſtructura*, ſive variis dogmatum theologicorum ſyſtematibus quæ Fundamento huic aſtruantur.

III. De Admonitionis ſive Cautelæ, quam hâc in parte adhibendam præcipit Apoſtolus, ratione.

Unde

Unde poſtremo eorum, quæ dicta fuerint, ad uſus theologicos Applicatio deducetur.

Ut vero dictorum ſcopus atque Apoſtoli mens plenius atque accuratius percipi poſſit, libet breve quiddam commentariolum ſeu enarrationem paraphraſticam præmittere, quæ ſingula ſententiarum membra definiat explicetque.

ΩΣ ΣΟΦΟΣ ΑΡΧΙΤΕΚΤΩΝ ΘΕΜΕΛΙΟΝ ΤΕΘΕΙΚΑ. Hæc quidem locutio metaphorica, ab arte Architectonica deſumpta, paginam ſacram legentibus ſæpius occurrit abunde nota & familiaris, imo vero & notior quam ut explicatione diſerta indigeat. Quis neſcit à materie, quæ in ſenſus noſtros diverſimode incurrit, conceptuum fere omnium, ut ita dicam, colorem & figuram depromi? à Phyſicis ad metaphyſica & moralia ideas transferri notiores? & ex analogia demum hujuſmodi rite percepta argumentationem juſtam formari? Nolo equidem allegorias nimis anxie ſcrutari, & per luſum quendam ingenii luxuriantis quodlibet è quolibet elicere: ſat erit, quod intuentibus res ipſa ſuggerit, ſive quod in ideis, quæ occurrunt, primariis & tanquam characteriſticis continetur, breviter annotare, & ex iis ad Apoſtoli ſententiam tranſlatis quid de ſumma ſit ſtatuendum colligere.

—ΩΣ ΣΟΦΟΣ ΑΡΧΙΤΕΚΤΩΝ— Facile intelligimus ab Apoſtolo moralem quandam Architecturam deſignari, in qua quidem adminiſtranda ſe [a] non ſine laude verſari teſtatur.

a Σοφον ἑαυτον ἐκαλεσεν ἐνταυθα, ὐκ ἐπαιρων ἑαυτον, ἀλλα τυπτων αὐλοις ἀδδας, καὶ δεικνυς ὁτι τελο ἐστι σοφὸν το ἐνα θεινας θεμελιον. *Chryſoſtomus.*

Scitum

Scitum porro eſt Eccleſiam paſſim appellari οικιαν θεϑ; cujus quidem appellationis ea eſt vis, ut denotet non ruderum molem aliquam indigeſtam, ſed ordinatam quandam ſyſtematis compagem; atque adeo, quicquid incrementi è Doctorum præceptionibus ſcientiæ noſtræ vel virtutibus acceſſerit, id omne referri ſolet ad οικοδομεω.

ΘΕΜΕΛΙΟΝ quod attinet — en id ipſum in quo Architecti prima & præcipua verſatur cura, in quo ſumma continetur laus: in hoc qui deliquerit, fruſtra reliquum laborem omnem impendit. Quamobrem *Paulus* ſibi artis Architectonicæ peritiam haud fruſtra arrogat, cum id, quod rei caput eſt, videatur aſſecutus, recte poſiti Autor Fundamenti. Hoc ipſum à *Jeſu Chriſto* paſſim in parabolis notatum vidimus: diverſa quidem ille Architectorum genera deſignavit, & opificii effectus diverſos exhibuit. En Architecti imperiti exemplum, cui infamiæ notam impreſſit! ædificavit quidem Ille, magno forſan cum molimine & apparatu magnifico, ſed επι τον αμμον, χωρις θεμελιϑ, extabat ſane ædificium, ſpecioſum ſatis & ſuperbum, at minus firmum ac ſtabile, at pluviæ ventorumque minus patiens: ſed ipſe rei exitus Architecti imperitiam arguit, artiſque in opprobrium proſtant collapſæ domus ruinæ. Quis autem eſt ille σοφος αρχιτεκτων! ille profecto, qui θεμελιον εθηκεν επι την πετραν, cum eo, quod immobile erat, penitiſſime conjunctum. Quin videte exitum: adverſus irruit tempeſtatum undarumque furor: at vero nihil aliud efficit, quam ut ædificii conſtantiam & ſtabilitatem de-

 monſtret.

monſtret. Ουκ ισχυει σαλευσαι αυτην, ὃς τεθεμελιωτο επι τὴν πετραν. Videte illud igitur, de quo *Paulus* gloriatur! Ille Eloquentiæ & Philoſophiæ &, quicquid uſpiam erat, ſapientiæ contemptor & oppugnator hâc in parte miram ſapientiæ laudem ſibi arrogat: at qualis? non humanæ, ſed divinæ. Κατα τὴν χαριν τȣ θεȣ τὴν δοθεισαν μοι ὡς σοφος αρχιτεκτων θεμελιον τεθεικα.

Quamobrem, ne forte ſibi nimium tribuere & ingenii ſui viribus præfidere videretur, ſuam hâc in parte arrogantiam temperamento quodam adhibito imminuens orationem ſic præmunit, κατα την χαριν τȣ θεȣ &c. — nempe hæc omnia quanta fuerint, non ingenio, non virtutibus ſuis, ſed benignitati divinæ prorſus tribuenda cenſet. Sententiæ hujuſce

KATA THN XAPIN &c.

duplex afferri poteſt interpretatio: ſive adeo intelligi velis ſingularia χαρισματα illa, vel dona extraordinaria, & mirabilem afflatus divini ενεργειαν, quæ in Apoſtolico munere adminiſtrando diverſimode exercebatur, εν αποδειξει πνευματος και δυναμεως: — ſive potius illud præclarum gratiæ divinæ teſtimonium, cujus beneficio ille, olim homo alienus & inimicus, ad fidem Chriſtianam converſus, divinitus impreſſo lumine animatus, & ad Apoſtolatum deinde evocatus in primis eminebat, (quod & ipſe ad *Romanos* ſcribens de ſe profitetur Δια τὴν χαριν τὴν δοθεισαν μοι υπο τȣ θεȣ, εις το ειναι με λειτȣργον Ιησȣ Χριστȣ εις τα εθνη, ιερȣργȣντα το ευαγγελιον τȣ θεȣ:) ſive hoc vel illo modo intelligi velis, χαριν certe hanc divinam *Paulus* noſter uberrimam eſt expertus: verum omni in

τȣ

re pie memor Autorem recognoſcit Deum. Quanquam ingenii & eruditionis fama inter primos floreret, & in Evangelio propagando περισσοτερον των παντων laborem impenderet, imo vero & magnam imperii *Romani* partem non tam peregrinationibus ſuis quam triumphis illuſtratum cerneret, de ſe tamen adeo non [a] magnifice ſenſit, in gloriæ tantæ ſocietatem adeo non immitti ſe poſtulavit, ut vix illam infimam, quæ cauſæ inſtrumentali debetur, laudem ſibi vendicaverit: ut hæc omnia non tam miniſterio ſuo quam gratiæ divinæ accepta deberi profiteretur. Αλλ' ουκ εγω, αλλα ἡ χαρις του θεου, ἡ συν εμοι.

Neque ſane incommode & inepte hæc ab eo dicuntur, qui Pſeudapoſtolorum arrogantiam coercere ſtuduit: nullum certe ad pudorem illis incutiendum afferri poterat argumentum efficacius quam hæc *Pauli*, inter Apoſtolos principis viri, συγκαταβασις & verecundia, hæc inopiæ & imbecillitatis propriæ recognitio; omnes interim in Eccleſia Doctores haud inani admonens documento, ut, ſiquid præclarum atque laude dignum effecerint, id omne Autori tribuerent Deo; ita ut ex effectu, quippe viribus mere humanis majore, cauſæ efficientis ſupremæ demonſtratio manifeſta elici poſſet, & fidei Chriſtianæ propagatio huc principium huc exitum referret, cum non εν σοφια ανθρωπων, αλλ' εν δυναμει θεου conſiſtere videretur.

a Ὁρᾳ γαρ πως μετριαζει· ειπων γαρ σοφον ἑαυτον ουκ αφηκεν αυτω τουτο ειναι, αλλ', ὁλον ἑαυτον σωθηναι αναθεις τῳ θεῳ, τοτε ἑαυτον οὑτως ἐκαλεσε — κατα την χαριν του θεου &c. ὁμου γαρ δεικνυσιν ὁτι το παν ἐστι του θεου, και ὁτι τουτο μαλιστα ἐστι χαρις το μη δυνηθηναι αλλ' ἐφ' ἑνι κεισθαι ῥηματι. *Chryſoſtomus.*

Videamus jam *quale* ſit Fundamentum illud *Paulinum* & in quo potiſſimum illa Architecti tanta laus continetur. ΘΕΜΕΛΙΟΝ ΓΑΡ ΑΛΛΟΝ ΟΥΔΕΙΣ ΔΥΝΑΤΑΙ ΘΕΙΝΑΙ ΠΑΡΑ ΤΟΝ ΚΕΙΜΕΝΟΝ, ΟΣ ΕΣΤΙΝ ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ. En deſcriptionem emphatice compendiariam! in illo ipſo *Jeſu Chriſti* nomine venerando omnia ſummatim contineri intelligite. Humani generis redemptionem in illo qui recognoſcit, quid aliud amplius deſideret! quid ultra quærat? θεμελιον αλλον ουδεις δυναται θειναι. Non aliud omnino uſpiam datur fundamentum immobile & immutabile, in quo, ut ita dicam, juſta ſtructura moralis, ſive οικος πνευματικος conſtare, nihil in quo futura præſentiens animus confidere, aut ſpes humana conquieſcere poſſit.

Quid enim de *Græcorum* Philoſophia, quid de *Judæorum* lege Moſaica ſtatui oportet? neque in hac neque in illa quidquam reperietur tali dignum nomine. Quid in illa videtis aliud quam diſputandi artificium quoddam ſingulare, & verborum ſonitum inanem, qui jam in auras abiit evanidus. In hac ſapientiæ multiplicis oſtentatione tanta, proh quantum erat errorum atque ſtultitiæ? profecto cum ratione ſua inſaniiſſe videntur. Ουκ εγνω ὁ κοσμος διὰ της σοφιας τον θεον utcunque enim de moribus multa fuerint ab illis ſubtiliter diſputata atque præcepta, at in momenti maximi rebus eoſdem turpiter hallucinantes videmus & tota errantes via; cum interim de natura divina, & ſua, de ſummo bono, nihil eſſet certi & definiti, nulla peccatorum expiatio, remiſſio nulla, nulla gratiæ divinæ ſubſidia, nulla demum

demum ſalutis æternæ ſpes. Miſeros profecto qui hæc ignorabant! miſeriores interim qui ignorantiæ ſuæ parum conſcii videbantur! Hi tamen præ ſe Barbaros contempſerunt! Ελληνες ſcilicet σοφιαν ζητουσι· & ſimplicitatem Evangelicam aſpernantur, quippe homine liberali & philoſopho indignam! hanc ipſorum arrogantiam & ſuperbiam vidimus ſæpius ab Apoſtolo retundi atque proſterni: neque fruſtra expoſtulationem hanc deriſoriam ingeri, ωυ σοφος, ωυ γραμματευς, ωυ συζητητης τυ αιωνος τυτυ; ουχ ὁ θεος εμωρανε τὴν σοφιαν τυ κοσμυ τυτυ;

Videte porro theologiam *Judaicam* — at in illa nihil fundamenti reperietis, nihil ſolidum & ſtabile, nihil perfectum, quod non erat aliunde petendum, nihil demum præter τυπυς & σκιαγραφιαν των μελλοντων αγαθων, cujus præcipua laus in eo ſita erat quod præparatio quædam Evangelica fuerit; ὁ νομος παιδαγωγος ημων γεγονεν εις Χριστον. OEconomia iſta Ritualis certis ſolum de cauſis, & ad tempus & in ordine ad perfectius quiddam poſtmodo ſtabiliendum inſtituebatur. Σκιαν γαρ εχων νομος των μελλοντων αγαθων, ουκ αυτὴν την εικονα των πραγματων, καθ' ἑνιαυτον ταις αυταις θυσιαις, ἁς προσφερουσιν εις το διηνεκες, ουδεποτε δυναται τυς προσερχομενυς τελειωσαι. Perfectio nimirum, quæ deſiderabatur, ex alio fonte erat derivanda: lex Moſaica Evangelio, cujus erat prænuntia, locum aliquando erat conceſſura: ὁταν ελθη το τελειον τοτε το εκ μερυς καταργηθησεται. Nempe ſyſtema illud umbratile, tabernaculum illud Moſaicum cum apparatu ſuo omni è medio tollitur, & ſuper θεμελιον τον κειμενον ὁς εστιν Ιησυς Χριστος, novum exædificatur

ædificatur templum, ναος αχειροποιητος -- οικος πνευματικος -- πολις θεμελιους εχουσα, ης τεχνιτης και δημιουργος ὁ Θεος.

Quæ cum ita ſint, cum neque in *Græcorum* philoſophia neque in religione *Judaica* quid quam ſolidi atque perfecti reperiatur, reſtat ut illi potius fundamento, quod ὁ σοφος αρχιτεκτων *Paulus* poſuit, fidenter inſiſtamus, fidemque in Chriſto caſtam & inviolatam tueamur, εποικοδομηθεντες επι τω θεμελιω των αποστολων και προφητων, οντος ακρογωνιαιου αυτου Ιησου Χριστου: cæteraque ſyſtemata omnia, quæ forte ingenii cujuſdam ſubtilioris laude vel etiam novitatis ſpecie quadam commendata veniunt, quam futilia atque prava fuerint re ipſa experti, cum *Petro* una vehementius obteſtante exclamemus προς τινα απολευσομεθα; ρηματα ζωης αιωνιου εχεις — atque alibi, ουκ εστιν εν αλλω ουδενι σωτηρια, ουτε γαρ εστιν ονομα υπο τον ουρανον το δεδομενον εν ανθρωποις εν ω δει σωθηναι ημας.

Quamobrem haud immerito à nobis *Paulus* laudatur ut σοφος αρχιτεκτων, cum nihil aliud fundamenti poſuerit, cum nihil aliud ad ſalutem neceſſarium annunciaverit præter *Jeſum Chriſtum*, titulo hoc compendiario œconomiam Evangelicam univerſam deſignans. Et Jeſum Chriſtum quidem nominat, non eminenter modo, verum etiam excluſive, ita ut nihil εκ του αιωνος τουτου in laudis iſtius ſocietatem admittatur.

Sciatis porro Illum, contra quam quod plerique, quos tacite reprehendit, feciſſe videbantur, in omni re Deo potius quam hominibus placere velle; atque adeo Evangelii puritatem genuinam exhibere ſapientiæ humanæ nullis ſive ſordibus

ſive

ſive etiam ornamentis contaminatam. Sine fuco, ſine diſſimulatione doctrinam mere Chriſtianam, eamque maxime ἀπροσδόκητον & fere incredibilem, eam præcipue quæ in *Græcorum* hominum offenſiones magis incurrere videbatur, prædicare non dubitavit, ſc. Χριστον ἐσταυρωμενον, Ἰουδαιοις μεν σκανδαλον, Ἑλλησι δὲ μωριαν. Et hi & illi in partes plane contrarias præjudiciis abrepti ſedulo errabant: nimium intelligendo nihil intelligebant: neſciebant ſcilicet in tali ignominia gloriam, in morte triumphos, in imbecillitate omnipotentiam demonſtrari.

Notandum porro eſt ab Apoſtolo dici θεμελιον του κειμενον & quidem emphatice, & eodem plane ſenſu quo apud *Græcos* dicebantur νομοι οι κειμενοι· ſcilicet morum regula, non temere præſcripta pro faſtidioſo imperantium arbitrio & libidine, ſed in medium promulgata uſuque publico recepta & ſancita.

Adjicitur rei ſubjectæ indigitatio ſeu definitio, ὁς ἐστιν Ἰησους Χριστος· compendiaria quidem illa, & emphatica: at videte quantum eſt inſtar in illa, quæ hominum Redemptorem deſignat; atque adeo videte mecum id quod inquirendum reſtat quam *late* pateat illius, quod *Paulus* poſuit, fundamenti ratio.

ΟΣ ΕΣΤΙΝ ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ·

Itane vero? reponat forte aliquis è *Corinthiorum* grege *Pauli* obtrectator: hæccine tua eſt fundamentalium deſcriptio? brevis certe illa & compendiaria, at ſterilis profecto & jejuna, imo vero tam involuta & indefinita, ut in ea *Hæretici* etiam tecum conſentire poſſint. — Sentio equidem quam facile ſit homini Critico & obtrectatori

tori nodum in ſcirpo exquirere, & recte dicta in partem ſiniſtram trahere; verum enimvero ſiquis rem ipſam penitius inſpexerit, & *Græcorum* hominum in ſectas diverſas abeuntium cauſam cognoverit, argumenta profecto idonea animadvertet, quibus defendi & commendari poterit hæc Apoſtoli ſententia; quæ id agit unice ut *Corinthios*, qui hujus vel illius Doctoris affeclæ autoritati humanæ nimium tribuere videbantur, ad ſimplicem fidei in Chriſto profeſſionem revocet, ad illud nempe univerſale, ut ita dicam, fundamentorum fundamentum, illud nempe, in quo cætera omnia virtualiter & indefinite continentur. Nequis vero hæc à me temere vel gratis dicta putet, diſquiſitione inſtituta mecum una recognoſcat, *quouſque* pateat hujuſce fundamenti vis.

Sumatur adeo à nobis pro principio fundamentali hæc ſimplex propoſitio *Jeſus Chriſtus eſt Hominum Redemptor:* de eo autem ſic argumentamur; quæcunque in eo, ut media ad finem, quæcunque in eo, ut concluſiones ingenitæ, virtualiter continentur, quæcunque porro ad id ipſum relationis alicujus neceſſariæ nexu ſive immediate ſive etiam mediate referuntur, ea omnia in religionis Chriſtianæ ſyſtemate, tanquam veritates fundamentales, merito admittenda arbitramur: & proinde (ut aliquid in ſpecie à nobis pronuntietur) ſymboli illius, quod dicitur Apoſtolici articulos tum hiſtoricos tum dogmaticos, quoniam cum hoc principio cognationis cujuſdam intimæ vinculo ſunt conjuncti, ut fundamentales accenſemus. Ex adverſa itidem parte Doc-

torum

torum hypotheſes quaſcunque novas & commenta, & concluſiones fide non bona deductas & dogmata demum, quæcunque aſtruuntur, ab hoc fundamento prorſus aliena & diſſidentia (qualia à Pontificiis aſtrui multa novimus ωδαδοσεις των πρεσβυτερων και ενταλματα ανθρωπων non εντολας Θεου, eaque porro omnibus ut ad ſalutem neceſſaria obtrudi) ea certe omnia, ut quæ Apoſtolus damnat, non ut inutilia modo & extra fundamentalia, ut ξυλον, χορτον, καλαμην,, ſed etiam ut prava & damnoſa, ratione pari improbamus & repudiamus. Fuit illud ſane à majoribus noſtris non prudenter minus quam pie conſtitutum, ut nihil pro articulo fidei cuipiam præciperetur, quod à Chriſto & Apoſtolis directe vel indirecte præceptum Sacræ Scripturæ non tradiderant. Qui autoritati divinæ tribuunt omnia, humanæ vero parum, ii ſane eo ipſo ab errorum, qui conſiliis mere humanis incidunt plurimi, quibuſque adeo Pontificii implicantur, periculo longius abſunt. Hac adeo in parte Eccleſiæ noſtræ laudem jure recognoſcimus, quæ ad ſimplicitatis primævæ normam propius acceſſiſſe videtur, Apoſtoli præcepta & exemplum ſecuta, fundamento nempe jam poſito religioſe inſiſtens, nec extra lineas quidquam moliri auſa.

Sentio equidem de *fundamentalibus* identidem à pleriſque multa fuiſſe varie diſputata, & eorum limites ab his coarctatos, ab illis vero amplificatos. Verum enimvero, quod in Philoſophia aliiſque in cauſis contigiſſe novimus, videtur ut plurimum hæc diſſenſio agitari non tam de *re ipſa*, quam de præſcripta quadam *loquendi formula*,

quam Hi ſimplicem eſſe & implicitam, Illi autem magis explicitam & definitam eſſe voluerunt. Utcunque enim dictio fuerit variata, at in ſententiis nulla erat diſcrepantia, prioribus poſteriora adeo non repugnant, ut etiam aſtipulentur & confirment. Nulla ibi eſt dogmatum novorum promulgatio, ſed jam antea receptorum explicatio diſtinctior. Ita ut idem illud de his, quod & de pane ad *Iſraelitas* cælitus demiſſo, haud inepte tranſlatum dici poſſit, *qui multum collegerat, nihil habuit ſupervacaneum; & qui parum collegerat, ei nihil deerat: pro ſuo quiſque modulo, quod erat ſatis, ſibi comparavit.*

Expectabitis forſan ut, quod & res ipſa admonere videtur, aliquid de *fundamentalibus* diſtinctius atque copioſius exponerem: at ſentio quam parce & religioſe de iis ſit dicendum, de quibus tacere prorſus eſſet nefas; imo vero, ne cui latius & ultra terminos commentatio exſpatietur, non fruſtra admonet hæc ipſa fundamenti, quod explicandum ſuſcepimus, ſimplex & compendiaria deſcriptio, ὁς ἐστιν Ἰησους Χριστος· quæ quidem ab Apoſtolo prolata videtur eo unice conſilio, ut philoſophiæ ſtudioſis omnem diſquiſitionum ſubtiliorum materiem præcideret, & ad id, quod præ cæteris erat maximum & fere ſolum, cogitationes atque ſtudia converteret, ad genuinam puramque de *Jeſu Chriſto Redemptore* doctrinam, ſapientiæ & artis humanæ contagione nulla corruptam.

Et, fundamenta quidem inveſtigantes, intelligite eorum origines non è Conciliorum definitionibus, è Theologorum commentis, aut autoritate

ritate quavis humana, ſed longe altius eſſe petendas: atque mecum adeo ſuperiora illa Eccleſiæ naſcentis tempora, puritatem illam primævam, & praxin deinde Apoſtolicam recognoſcite. Inſtitutione quidem Evangelica nihil erat apertius, nihil ſimplicius, ſanctiuſve: adeoque, ſi quando religio Chriſtiana novam ſyſtematis cujuſdam artificioſi formam induiſſe videatur, animadvertite quod non tam Dei conſilio, quam hominum ingenio & ſolertiæ ſit tribuendum. Sed ut ad origines redeam — quis neſcit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Diſcipulos ſuos legatos miſiſſe hoc autoritatis ſuæ teſtimonio publico communitos? εδοθη μοι, inquit, πασα εξουσια εν ουρανῳ, και επι της γης· πορευθεντες ουν μαθητευσατε παντα τα εθνη· ita ut non ſolum è *Judæorum* gente, ſed ex omnibus quaquaverſum populis conflata Eccleſia ſibi coaleſceret. Videte finem bonitate divina, quæ limitibus nullis circumſcribitur, digniſſimum, humani generis univerſi Redemptionem! Jam vero, quæ ad finem illum erant neceſſaria, & cum illo una neceſſitudine quadam conjuncta, (quæcunque demum fuerint,) ea certe, cum ad ſalutem noſtram ſpectent, pro fundamentalibus jure habenda cenſemus. Quin videte porro ipſam initiationis Chriſtianæ formulam, his verbis præſcriptam, βαπτιζοντες αυτους εις το ονομα του πατρος, και του υιου, και του αγιου πνευματος· en id ipſum per quod Chriſtiani efficimur, adeoque in primis fundamentale! en fidei profeſſionem baptiſmatis comitem, & cum ipſo nomine Chriſtiano conjunctam! venerabundi recognoſcite iſthoc ευσεβειας μυστηριον, Deitatis, ut ita

 dicam,

dicam, triunius characterа triplicem impreſſum; recognoſcite relationes Deitatis plane novas, lumine Evangelico patefactas; relationes, inquam, cum Redemptionis humanæ œconomia unice connexas. Qui *Iſraelitis* ſuis proprio quodam nomine ſive κυριῳ χαρακτηρι ſe diſtinctum innoteſcere voluit, idem ille Deus Chriſtianis ſe triplici hac appellatione deſignatum exhibet: *Pater*, — *Filius*, — *Spiritus ſanctus*; Creator — Redemptor — Sanctificator; — unus profecto & idem Deus, at characteres diverſi, at officiorum deſignatio diverſa, & ea quidem, quæ ad rem noſtram unice ſpectat, & Redemptionis œconomiam Evangelicam diverſimode adminiſtratam commonſtrat. Quid? nihilne prorſus ſignificat Deitatis iſta toties & emphatice iterata deſignatio? an vero, *Socino* jubente, illico in allegoriam tranſit inanem, ſeu fumus in auras? — at non iſthoc patitur aut verborum aut rei ipſius ratio. Quid porro? — forſan è *Corinthiis* philoſophantibus vel è *Judæis Nicodemus* neſcio quis interpellat πως δυναται ταυτα γενεσθαι; — at vero illud ΠΩΣ in myſteriis locum non habet: *rem ipſam* tenemus, quippe revelatam, ſed indefinite: *modum* vero nec intelligimus, neque quærimus, quippe ingenio humano altiorem. βλεπομεν γαρ αρτι δι' εσοπτρȣ εν αινιγματι, non rem ipſam, nec quidem imaginem, ſed potius imaginis adumbrationem quandam, & eam aliunde analogice tranſlatam. Deum quidem agnoſcimus *unum*, ſed eundem & *triunum*, ſive characterе triplici diſtinctum, talem enim ſacræ ſcripturæ nobis exhibent: quid ultra quærimus aut dubitamus?

Nequis

Nequis vero de Perſonalitatibus argutias neſcio quas metaphyſicas opponat, ſciat profecto aliam eſſe philoſophiæ humanæ, aliam divinæ rationem, & porro periculoſum quiddam eſſe de myſteriis philoſophari, &, præter quod ſcriptum eſt ſapere velle; cum uſu compertum ſit locutionum, perinde ac rerum, novarum ſtudia diſputantium animos ſæpe à recto deflexiſſe, imo & ipſam ὀρθοδοξίας defenſionem temerariam aliquando hæreſes peperiſſe. Quin potius hæc prima & in medio poſita mecum una recognoſcat: ipſa nominum ratio [*Patris, Filii, Spiritus ſancti*] quid aliud deſignat, quam triplicem quandam diſtinctionem? at qualem! ὑποστάσεων vel Perſonalitatum? — at nec illud dicerem, ſi quidem vocabulum aptius analogia ſuppeditaret: ſciat interim terminos, quibus rei perobſcuræ conceptus aliquo modo exponuntur, ſenſu non *proprio*, ſed *analogico*, adhiberi, nec, præter quas res ipſa fert, alias inſuper difficultates ingerat. Recognoſcat porro una cum officiorum conjunctione in omnibus naturæ identitatem, ſive Deitatis rationem communem, cum ſimul omnium in nomine baptizatio adminiſtretur. Quid enim? ut Creatura quævis in hoc Deitatis conſortium admittatur? hoccine eſt credibile? — recognoſcat præterea benedictionis Apoſtolicæ formulam conſimilem ſc. ἡ χαρις τȣ Κυριȣ ἡμων Ιησȣ Χριστȣ &c. quid aliud ſignificari videt, quam Deitatem, unde ſpiritualia derivantur beneficia, officiorum cognatione communi conjunctam? in omnibus denique aut Deum recognoſcit, aut nihil. Ad hujus certe fidei profeſſionem publicam vocamur,

mur, quotquot baptizati Chriſto nomen damus; eamque, tanquam ſymbolum atque teſſeram, gerimus, quibus Chriſtiani ab hominibus cæteris quibuſcunque diſcriminamur. Neque ſane tria illa, quæ Liturgia in noſtra locum habent, Symbola aliorſum tendunt, quam ut illud ipſum plenius definitum & illuſtratum exhibeant. Quare, ſiquidem philoſophiæ divinæ potius quam humanæ autoritas valeat, ſimplicitatem primævam tueri ſtudeamus, & κατεχωμεν τὴν ὁμολογιαν τῆς ἐλπιδος ακλινη, & cum *Petro* una publice profiteri non vereamur, σὺ εἰ ὁ Χριςὸς, ὁ ὑὸς τὺ Θεὺ τὺ ζωντος· ita ut ad nos quoque illa à Chriſto pronunciata benedictio redundet: μακαριος εἰ, Σιμων Βαρ Ιωνα, ὁτι σαρξ καὶ αἱμα ὐκ ἀπεκαλυψε σοι, ἀλλ' ὁ πατηρ ὁ ἐν τοις ὐρανοις.

Nequis vero hanc, quam prædicamus, hominis Chriſtiani fidem ſterilem eſſe virtutumque prorſus effætam exiſtimet, ſciat porro *agenda* quædam non minus quam *credenda* ab hoc ipſo fundamento proficiſci. Evangelica enim diſciplina ad οἰκοδομὴν moralem, ad mores conformandos præcipue ſpectat, inſtituta, non καταλυσαι νομον, ἀλλα πληρωσαι, non tam ut veritates ſolum myſticas, & acroamata paradoxa, aut, quales Philoſophorum eſſe ſolent, ſubtilitates mere theoreticas venditet; ſed omnia ut ad praxin revocet, virtutumque omnino omnium fructus uberiores pariat, & in homine demum baptizato non tam nomine quam re ipſa παλιγγενεσιαν quandam moralem efficiat.

Vidiſtis jam adeo ab omnibus in ipſo ſcholæ Chriſtianæ quaſi limine, in ipſo initiationis actu fidem

fidem exigi εις το ονομα τυ Πατρος, και τυ Υιυ, και τυ αγιυ Πνευματος· quod quidem, cum ſyſtematis Chriſtiani proprium ſit & vere χαρακτηριστικον, ideo in fundamentalibus locum primum habere arbitramur. Videte jam porro qualem huic fundamento ſtructuram Chriſtus imponi voluit: fidei ſcilicet comitem adjungit Pietatem, his quæ ſequuntur verbis præcipuam illam, quæ moribus conformandis impendi debet, curam commonſtrans: διδασκοντες αυτυς τηρειν ὁσα ενετειλαμην ὑμιν. Religionis nempe ſummam generali hoc præcepto complectitur, ita, ut quæcunque paſſim in Evangelio tradiderat, officiorum moralium omnium recordationem & efficaciam reſuſcitet. Jam vero quicquid Chriſtus præceperat, id omne ab Apoſtolis bona fide effectum facile credimus, nec ab illis quidquam ad ſalutem neceſſarium prætermitti, quibus religio erat tale quidquam diſſimulare, ſive non αναγκειλαι πασαν την βυλην τυ Θευ. Quamobrem in fundamentalibus quibuſcunque conſtituendis praxeωs Apoſtolicæ, veluti luminis cujuſdam divini, ductum haud fruſtra ſequimur.

Quid hâc in parte à *Paulo* noſtro ſit præſtitum, quæ explicanda ſuſcepi, verba ſatis docent; nempe *Jeſum Chriſtum* pro fundamento poni εμφατικως ita ut omnino aliud agnoſcat nullum ſed in eo cætera omnia contineri ſentiat.

Verum inſuper quid ille de eadem re alibi, & quomodo dixerit, paucis notare libet. Ad *Epheſios* ſcribens Chriſtum appellat λιθον ακρογωνιαιον, εν ᾧ πασα ἡ οικοδομη συναρμολογυμενη αυξει εις ναον αγιον εν Κυριῳ, — & alibi κεφαλην γωνιας, & quaſi

funda-

fundamentorum fundamentum, ſtilo hactenus uſus Architectonico id, quod ad rem ſatis pertinebat, indefinite ſignificans. Porro in hac ipſa ad *Corinthios* Epiſtola deſcriptionem paululum amplificari ſentimus, adhuc quidem compendiariam, ſed inſigniter emphaticam: exhibet nempe Χριστον εσταυρωμενον· atque adeo ipſa Evangelii annunciatio ſynecdochice dicitur ὁ λογος τȣ σταυρȣ, cum nihil non ad ſalutem neceſſarium adhibeat, qui Chriſti crucifixi merita ſibi adhiberi ſentit; qua de cauſa appellatur etiam ἡ δυναμις τȣ Θεȣ εις σωτηριαν. Alibi porro ad *Romanos* ſcribens Chriſti Reſurrectionem prædicat, non modo ut præcipuum quiddam, ſed ut unum inſtar omnium: το ῥημα της πιστεως ὁ κηρυσσομεν· ὁτι εαν ὁμολογησης εν τῳ στοματι σȣ Κυριον Ιησȣν Χριστον, και πιστευσης εν τῃ καρδια σȣ ὁτι ὁ Θεος αυτον ηγειρεν εκ νεκρων, σωθησῃ. Denique, ne plura commemorem, idem ad *Timotheum* ſcribens, dum venerabile illud το μυστηριον της ευσεβειας amplificat, plenius & diſtinctius rem omnem ſic abſolvit: Θεος εφανερωθη εν σαρκι, εδικαιωθη εν πνευματι, ωφθη αγγελοις, εκηρυχθη εν εθνεσιν, επιστευθη εν κοσμῳ, ανελημφθη εν δοξῃ· hoc nempe in loco ſatis habuit ſumma illa rerum capita attingere, quæ, cum naturæ tam humanæ quam divinæ teſtimonia exhibeant ampliſſima, ſimul probant Jeſum eſſe Meſſiam, & generis humani Redemptorem. Videte interim quam caute & compendiarie ab eo ſermo inſtituitur: nulla ſententiarum amplificatio *Græcis* hominibus, τοις σοφιαν ζητȣσι, placitura: omni quidem in parte Evangelii ſimplicitatem tuetur & ſuam, id ſedulo cavens, ne extra oleas evagari, nequid dogma-

dogmatum mere humanorum ſapientiæ divinitus patefactæ immiſcere videatur.

A primis jam olim temporibus profeſſionum formulas quaſdam in Eccleſia extitiſſe comperimus; ſcripta Apoſtolica paſſim commemorant τυπος διδαχης, ὑγιαινοντων λογων ὑποτυπωσεις, — παραταθηκην — πιστιν ἁπαξ παραδοθεισαν — κοινην πιστιν — μιαν πιστιν — ἐν βαπτισμα &c. Ex hiſtoriæ porro ſacræ monumentis diſcimus eos quotquot à *Judaiſmo* vel *Ethniciſmo* ad fidem Chriſtianam converſi baptizabantur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, formulas quaſdam, quæ Doctrinarum quibus initiabantur, capita continebant præcipua, publice exhibuiſſe; & eo quidem conſilio, ut, profeſſionibus hujuſmodi promulgatis, veluti ſymbolis atque teſſeris militaribus, hi, qui Chriſto duci nomen dederant, à cæteris quibuſcunque diſcreti agnoſcerentur. Et hoc quidem προς τους εξω; verum interea non deerat quod ad uſus quoque privatos pertineret, cum hac diſciplina inſtructi omnia illa, quæ ad ſalutem erant maxime neceſſaria, dogmata accuratius intelligerent, atque adeo fidei morumque regulam quandam compendiariam ſemper quaſi ob oculos poſitam haberent. Duplicem adeo inſtitutionum fructum hujuſmodi animadvertimus. Et formulas quidem haſce profeſſionum, prout monumenta primæva cætera fere omnia, ſuccinctas fuiſſe atque ſimplices facile intelligimus; ita interim concinnatas, ut Religionis Chriſtianæ articulos fundamentales complecterentur, & eos præſertim, qui *Chriſtianos* à *Judæis Ethniciſque* à quibus deſciverant, quam maxime diſcrimina-

bant, eos κατ' ἐξοχην, qui humani generis per Jeſum Chriſtum redemptionem declarabant.

Et profecto rei Chriſtianæ probe fuiſſet conſultum, ſi primæva illa brevitas atque ſimplicitas etiamnum valeret, & dogmata illa præcipua ipſius Sacræ Scripturæ verbis concepta proſtarent integra adhuc & incorrupta, nullis interpretum cavillationibus vexata, aut malignitate in ſiniſtrum detorta. Utinam profecto ipſæ dubitandi & diſputandi occaſiones omnino omnes præcidi potuiſſent! At certe ad Eccleſiam quoque pertinere video, quæ humanitus accidunt, incommoda. Cum nunquam deeſſent perverſi homines ingenii qui in religione rebus novis ſtuderent, non deerant itidem qui fidem catholicam ſcriptis & autoritate defenderent. Atque adeo, cum *Paulus* ille *Samoſatenus* ὁ ἀρνησιθεος, prout meminit *Euſebius*, αποσας απο τϐ κανονος επι κιϐδηλα και νοθα διδαγματα μετεληλυθεν, Epiſcopis quaquaverſum ex Oriente convocatis viſum eſt hominem Hæreticum, rei diſquiſitione habita, anathemate ſuo ferire: & deinde errorum cenſuras ſecuta eſt ὀρθοδοξιας profeſſio diſtinctior. Ita deinceps quoties ἑτεροδοξοι ſacras ſcripturas perperam intelligendo fidei ſyſtemati conſtituto adverſabantur, tum demum, nequid in poſterum detrimenti caperet Eccleſia, nec principia uſu communi comprobata & ſtabilita in dubium vocarentur, cautum eſt à præſulibus vexata illa dogmata clauſulis quibuſdam adjectis quaſi præmunire, &, quæ erant implicita & involuta, ea fuſius explicare, quæque erant recondita & obſcura, ea definire & illuſtrare. Hinc natæ ſunt formulæ iſtæ, quæ ſymbo-

ſymbolorum nomine in Eccleſiæ uſus publicos adhibebantur: & eo quidem conſilio ut κατηρτισμενοι εν τῳ αυτῳ νοϊ και εν τῃ αυτῃ γνωμῃ uno omnes ore τὴν κοινὴν πίστιν ἀπαξ παραδοθεισαν τοις ἁγιοις recognoſcerent & tuerentur. Illud præſertim, quod vulgo *Apoſtolicum* dicitur, haud fruſtra credimus jam olim à primis retro temporibus fuiſſe in Eccleſia præcipue *Romana*; &, qui in eo continentur, articulos fuiſſe omnium maxime catholicos ubique, & ſemper & ab omnibus fere receptos. Quod ad *Nicænum* & *Athanaſianum* attinet, ita de iis ſtatuere oportet, ut nihil novi dogmatis invehi atque fidei primævæ fundamento aſtrui, ſed antiqua retineri ſentiamus plenius jam explicata atque luculentius definita. Atque adeo (quod ipſum Eccleſiæ *Anglicanæ* articulus 8vus profitetur) tria illa ſymbola recipimus, non tam quia autoritate Eccleſiaſtica præcipiuntur, quam quia eorum dogmata omnia firmiſſimis ſacræ paginæ teſtimoniis probari poſſe confidimus. Quæ cum fuerint à nobis adeo temperanter & moderate conſtituta, jure miramur querimurque de [a] hominum illorum iniquitate & pervicacia, qui, cum moderationis ſpeciem nomenque prætendant, ipſis ſymbolorum inſtitutionibus interea, & patribus *Nicænis* & *Athanaſianis* quibuſcunque intemperanter & iracunde bellum indicunt — de judicii libertate oppreſſa — de tyrannide Eccleſiaſtica, de Anathematizationis clauſu-

a Præcipue hic mihi notandus eſt ſcriptor libelli cui titulus *An Eſſay on Spirit*, & quidem eo libentius, quod illius confutationem, & fidei orthodoxæ defenſionem magna cum laude ſua nuper ediderit ὁ ΘΕΟΛΟΓΩΤΑΤΟΣ *Tho. Randolph*, S.T.P. C.C.C. *Oxon.* Præſeſ.

la neſcio qua — &c. miras cient tragœdias, & terriculamenta quædam vulgi animis objiciunt — quorſum hæc tendunt, invitus ſuſpicor. Utinam ſane eſſent hæc ab errore quodam judicii potius quam animo malo profecta; ita ut ipſi ſaltem charitatis ſeu moderationis illius Chriſtianæ, quam in Eccleſiaſticis legiſlatoribus deſiderant, exemplum factis oſtenderent! Alia certe eſt dubitationis modeſtæ, alia adverſationis præfractæ cauſa. Opiniones privatas, hujuſmodi præſertim in re, autoritati *publicæ* tumultuanter opponere eſt indolis non ingenuæ & verecundæ, ſed arrogantis: in partem vero ſiniſtram omnia, & ad invidiam trahere — iſthoc plane eſt malignitatis. Certe bonus civis & Chriſtianus multa potius de ſuo remittenda & reipublicæ condonanda eſſe ſentiet, & illud ſibi præcipue cavendum, ne quas in Eccleſia turbas excitet importunæ contentionis intemperantia. Quidni vero, quod in politico quolibet, idem & in regimine Eccleſiaſtico licere putemus? nempe ut legibus ſuis obſequium imperetur, ut præcepta, ubicunque in dubium vocari aut prave detorqueri contigerit, diſtinctius definiantur, imo ut ipſa explicatio fiat explicatior? Interea vero meminiſſe oportet non hanc vel illam explicationis formulam, quocunque demum nomine efferatur, pro fidei articulo obtrudi, ſed rem ipſam quæ explicatur; rem ipſam qui bona fide admittunt, non eſt quod de cæteris ſint ſolliciti. Quid plura? ad ſacræ ſcripturæ teſtimonium referuntur omnia, nec, niſi quatenus in ea continetur, quidquam neceſſario credendum præcipitur: ad hanc normam, qui velint,

lint, examen inſtituant, αναχρινοντες τας γραφας ει εχοι ταυτα ὑτως. Sint quidem libera hominum judicia: at ſua autoritati publicæ conſtet reverentia. Deſinant interim obtrectatores maledicere, & parcius ſaltem de prolixis hiſce explicationibus querantur quarum neceſſitatem obtrectationum hæc ipſa importunitas induxerit.

Satis hæc εν παροδῳ de *fundamentalibus*: quæ quidem omnia eſſe inter ſe connexa ſentiatis atque ad hoc *Paulinum* noſtrum revocanda, ος εστιν ιησους χριστος· cujus adeo vis quam late pateat ex eo ipſo intelligi poteſt. Nos interim Apoſtoli exemplum eo animo recolere oportet, ut, cum viderimus fundamentum ab illo poſitum *quale* fuerit, & in *quo* potiſſimum illa Architecti, quam ſibi arrogavit, laus conſtiterit, intelligamus ſimul, quod ad rem noſtram ſpectat, qualis in fundamentalibus conſtituendis adhiberi debeat cautela; ſcilicet nequid nimis, nequid, ut ita dicam *extrafundamentale*, nequid à ſacramenti Baptiſmalis fide & à Redemptionis per Jeſum Chriſtum œconomia alienum, in dogmatum Chriſtianorum ſyſtemate locum habeat, & tanquam ad ſalutem neceſſarium cujuſpiam autoritate obtrudatur.

ΑΛΛΟΣ ΔΕ ΕΠΟΙΚΟΔΟΜΕΙ· ΕΚΑΣΤΟΣ ΔΕ ΒΛΕΠΕΤΩ ΠΩΣ ΕΠΟΙΚΟΔΟΜΕΙ.

Fundamentum recte ponere prima eſt cura, prima laus: proxima huic, poſito recte uti; in altero requiritur ingenii ſolertia & prudentia, in altero fides & diligentia. Videtis adeo id quod *Paulo* debetur laudis, & quod à nobis exigitur officii: præmittitur facti notatio; dein ſubjicitur admo-

admonitio, ſeu cautela: de utriſque inſtituitur diſquiſitio; & imprimis de facto.

ΑΛΛΟΣ ΔΕ ΕΠΟΙΚΟΔΟΜΕΙ·

Quidni vero? etenim hoc ipſum voluit Architectus: fruſtra enim fundamentum ponitur, cui omnino nihil aſtruitur. Verum interim pro jure ſuo poſtulat ne opifex quidquam extra lineas moliatur, ne porro materiem ingerat quoquo modo incongruam, ſed ut τη ιχνογραφια prius deſignatæ univerſa ædificii ſtructura reſpondeat. Hoc adeo à *Corinthiis* ſuis *Paulus* exigit, atque ita ſane, ut novos, qui irrepſerant in Eccleſiam, Doctores tacita quadam exprobratione perſtringat. Deſcripſerat ille quidem operis præſtituti lineamenta, ea omnia, quæ σοφον αρχιτεκτονα decebant, tam exemplo quam præceptis exhibens; verum (quæ eſt hominum pervicacia & vecordia) noluerunt illi intra limites præſcriptos contineri, ſed, cum plus æquo ſibi ſapere viderentur, ſuo obſequi ingenio maluerunt, & pro libitu ſuo tranſilire & evagari. Ita profecto hominum indoles eſt comparata, ut ædificare quidem (quod ipſum & debent) omnes fere cupiant — ſed pro ſuo quiſque ingenio & libidine — ſed *novi* quiddam & de *ſuo*, ita ut non tam ad της εκκλησιας οικοδομην, quam ad gloriolam ſuam omnia referre videantur. Quid in Philoſophia? — potuiſſe aliquid meditando invenire, inventum vero inſuper rationibus validiſſimis ſtabilire & exemplis illuſtrare, quam præclarum illud habetur & ingenii non vulgaris opus? at vero facile eſt inventis addere: hoc faciunt & leves animi & arrogantes; & quidem ita, ut ſæpe inventionis gloriam, alie-

no

no partam labore maximo, facile ad ſe tranſtu-erint. Quid itidem in Theologia? idem fere & bi, quod in ſcientiis cæteris quoque contigiſſe novimus. Ὁ Παυλος εφυτευσεν, ὁ δὲ Απολλως εποτι-σε, &, favente Deo, incrementum permagnum ccepit res Chriſtiana. Interea in Eccleſia exſur-it Doctor aliquis ingenio florens & gloriæ cupi-dus, auditores nactus faſtidioſos, rebuſque novis tudentes: quid Ille? ædificii jam fere conſtruc-i fundamentum novum ponere non audet: at novum rebus colorem inducere & ornamenta nova apponere non veretur. Principia ſane Re-igionis Chriſtianæ videt explorata ſatis & ſtabi-ita: at vero tædet uſque & uſque eadem repe-ere & inculcare: libet potius nova quædam aſ-truere, populo quæ placeant, & dicenti gratiam & autoritatem concilient: libet philoſophiæ, quam fruſtra didiciſſe puderet, humanæ dogma-a ſapientiæ divinæ εποικοδομειν· itaque ergo ad ſuadendum orationis ornatus omnis adhibetur καθ' ὑπεροχην λογε εν πειθοις ανθρωπινης σοφιας· ita ut hypotheſium philoſophicarum acumen, &, quicquid erat in diſputando artificii & argutia-rum elegantiorum, id omne veritatum Evange-licarum ſimplicitati quaſi condimentum quod-dam accederet; atque adeo adminiſtrationes ec-cleſiaſticæ, rerum ordine penitus inverſo, proce-derent: cum Chriſtiana fides non jam amplius εν τη δυναμει Θεε, ſed εν τη σοφια ανθρωπων conſiſtere videretur.

Quæret fortaſſe aliquis, an hæc Apoſtoli verba αλλος δὲ εποικοδομει *certum* aliquem hominem præ cæteris deſignent, vel potius in genere τον δεινα, *quem-*

quemlibet hominem indefinite. At vero nihil certi aut definiti hac in re hiſtoria ſacra proponit: haud certe conſtat unum aliquem κατ' ἐξοχ Pſeudapoſtolum inter *Corinthios*, prout modo inter *Galatas*, irrepſiſſe: longius ab erroris periculo abeſſe videtur, qui ſimul plures in Eccleſia Doctores extitiſſe judicaverit fundamento illi *Paulino* ἐποικοδομουντας. Interea pro certo ſciatis cenſuram hanc ad *Apollo*, cujus ſæpius mentio non ſine laudatione quadam eſt injecta minime pertinere poſſe; ad illum hominem, quo adjutore *Paulus* ſemper uſus eſt fidiſſimo, quocum nulla unquam interceſſit æmulatio, niſi honeſtiſſima. Cum enim paulo ſuperius hujus atque illius ſectæ magiſtros ambitioſos reprehenderet, [a] invidiæ declinandæ cauſa, eorum nominibus celatis, ad ſe atque *Apollo* crimen non ſuum ſed alienum tranſtulit: ταυτα δε, αδελφ μετεσχηματισα εις εμαυτον και Απολλω δι' ὑμας· ἱνα ἐ ἡμιν μαθητε το μη ὑπερ ὁ γεγραπται φρονειν· ἱνα μ εἱς ὑπερ τυ ἑνος φυσιυσθε κατα τυ ἑτερυ.

ΑΛΛΟΣ ΔΕ ΕΠΟΙΚΟΔΟΜΕΙ·

Non in genere quivis è *Corinthiorum* grege, ſed in ſpecie aliqui è Doctoribus Eccleſiæ. Sentio equidem [b] *Chryſoſtomum* & ſcriptores *Græcos* pleroſque ita hæc verba interpretari, ut ad *mores* potius, quam ad *dogmata* pertinere cenſeant,

a Αλλως τε, και ανεπαχθεστερον ποιει τον λογον, υκ ονομασι μιμημενος των διαβεβλημενων την εκκλησιαν, αλλ', ωσπερ πσι προσωποις, τ των Αποστολων προσηγορευσας κρυπτων αυτυς, Εγω ειμι Παυλυ εγω δ Απολλω &c. *Chryſoſt.*

b Ἡ δε οικοδομη πραξεις εμοι δοκυσιν ειναι· καιτοιγε τινες φασι κ και αυτο τυτο ωδει διδασκαλων ειρηται και μαθητων, και ωδει αἱρεσιων διεφθαρμενων· αλλ' ὁ λογος υ παραδεχεται &c. *Chryſoſt.*

cum

cum fidei orthodoxæ fundamento jam posito pietatis officia astrui debeant; & præcipue porro, cum paulo inferius mentio specialis de operibus injicitur, quibus pro ratione diversa merces diversa tribuitur. Verum, cum hic ab Apostolo instituatur sermo non tam de Christianis in genere, quam de Ecclesiæ *Doctoribus*, non tam de grege, quam *Pastoribus*, cumque porro hæc ipsa doctrinæ Christianæ prædicatio inter opera moralia jure sit accensenda, cum *Paulus* & *Apollo*, ὁ φυτευων δε και ὁ ποτιζων εκαστος τον ιδιον μισθον λημψεται κατα τον ιδιον κοπον — cum hæc ita sint, illam quam *Paulus* indigitat εποικοδομην ad Doctorum præceptiones, qualescunque illæ fuerint, sive ad mores sive ad fidem pertinuerint, referri arbitramur.

Utut vero hæc fuerint, Apostolicæ declarationis & admonitionis ratio evincit extitisse quosdam in Ecclesia Doctores male officiosos qui Religionis Christianæ fundamento, quod à *Paulo* jam positum vidimus, nonnihil novi astruere gaudebant: atque adeo jam ultra pergimus de facto quærere *quid* potissimum structuræ illud fuerit quod hi homines moliebantur. At nihil sane video pravitatis *Hæreticæ*, nihil veritati Evangelicæ prorsus repugnans: certe nihil tale innuit Apostolicæ cautionis sive censuræ ratio. Quid ergo? dogmata opinor sapientiæ non tam divinæ, quam humanæ, specioſa quidem sed futilia, sed neutiquam solida & pretiosa: nempe popularia utplurimum & curiosa, & plus admirationis afferentia, quam utilitatis. Hujusmodi dogmata à Doctoribus istis novis populo fuisse

venditata exiſtimamus. Quid enim? *Græca* gens, novitatis avida, literaturæ fere omnis ſtudioſa, quid habuit jucundius atque præclarius quam Eloquentiæ & Philoſophiæ laudem? en vero illud ipſum quod horum hominum aures delicatæ & faſtidioſæ in Evangelii prædicatione ſincera deſiderabant. Amplexi ſunt illi quidem fidem Chriſtianam *Pauli* miniſterio annunciatam, imo & cœleſti miraculorum teſtimonio confirmatam εν αποδειξει πνευματος και δυναμεως· verum iidem *Pauli* ſui exemplo adduci non poterant, ut, quæ in omni laudis genere prima eſſe putaverant, ea illico repudiarent; ut humana, quotquot reperiuntur, omnia ſive fortunæ ſive ingenii ſive etiam virtutum præmia contemnerent, imo vero cætera omnia præ veritatum Evangelicarum præſtantia non modo levia & inutilia crederent, αλλα μενουνγε και παντα ζημιαν ειναι δια το υπερεχον της γνωσεως Χριϛου Ιησου του Κυριου. —Proh quam difficile eſt opiniones præconceptas uſuque diuturno confirmatas animo protinus evellere! & quod, labore magno didicimus, id ipſum ultro neſcire! Eſt igitur quod minus miremur hominum *Græcorum* animis aliquid innatæ cujuſdam arrogantiæ & levitatis adhæſiſſe. Atque adeo hi Doctores egregii illas præcipue artes, quibus & ſibi & populo magis placere poſſe videbantur, ſedulo adhibendas putarunt: & proinde, cum Religionem Chriſtianam, quippe nimis ſimplicem, & incultam & jejunam, ab hominibus *Ethnicis* derideri cernerent, nequid illa detrimenti caperet ſolliciti nova hæc inierunt conſilia; atque id demum egerunt, ut, quæ aliquando fuerat Ιουδαιοις μεν

μεν σκανδαλον, Ἕλλησι δὲ μωρια, eadem jam prodiret hominum adverſantium indoli aliquando accommodatior, omnibus, quæ utplurimum placere ſolent, artium humanarum ornamentis commendata. Itaque Eloquentiæ & Philoſophiæ, quarum laude florebant, inſtrumenta in Evangelii ſubſidium forſan & opprobrium vocarunt. Et hoc potiſſimum illud eſt quod fundamento poſito videntur επικοδομειν. Verum prava hæc ambitio atque placendi ſtudium tum Doctores tum Populum à recto tramite in tranſverſum egit; hos, ut ſectæ principes, illos autem, ut aſſeclas: hæc ingeniorum admiratio & vitioſa προσωπολημψια, prout fieri ſolet, diſſenſiones aliquando peperit partiumque ſtudia, id ipſum, quod *Paulus* reprehendit, utpote Chriſtiano nomine prorſus indignum, cum vehementia quadam ſic expoſtulans: οπȣ γαρ εν ὑμιν ζηλος και εριȣ και διχοϛασιαι, ȣχι σαρκικοι εϛε, και κατα ανθρωπον περιπατειτε; ὁταν γαρ λεγῃ τις, εγω μεν ειμι Παυλȣ, ἑτερος δε εγω Απολλω· ȣχι σαρκικοι εϛε;

Quid porro *Judæi?* nihilne Illi quod fundamento *Paulino* aſtruerent, excogitarunt? num Illi, quos lex Moſaica, veluti Pædagogus, ad Chriſtum recta via ducere & potuit & debuit, num Illi præjudicatis opinionibus exuti ita Chriſtum didicerunt ut inſtitutiones Moſaicas prorſus dediſcerent? at vero Illorum tum audacia tum vecordia erat intolerabilis. Chriſto ſane nomen dederant prophetiarum & miraculorum teſtimonio convicti: ſed adhuc ἡ των Φαριϛαιων ζυμη ipſorum animis inſidebat: nihil de ſuo remittere, ſed fidei Evangelicæ ſuam inſuper ſuperſtitionem

aſtrui cupiebant: in libertatem jam vindicati prout majores olim ſui in deſerto, ſervitutem priſtinam deſiderabant; non diſciplinam illam, cujus ſtudio tamdiu ſe addixerant, impune negligi, non dogmata rituſque à majoribus traditos, quibus tamdiu ſe aſſuefecerant, ullo modo ſibi extorqueri, aut abrogari patiebantur.

Recolite Apoſtolorum tempora: etiam tum εξανιϛησαν τινες, των απο της αιρεσεως των Φαρισαιων πεπιϛευκοτες, λεγοντες, ὁτι εαν μη περιτεμνησθε τω εθει Μωσεως, ου δυναϛε σωθηναι. Quid aliud videti quam *Judaiſmum* modo profligatum de Evangelio jam demum triumphantem? quantæ vero iſthoc erat imperitiæ & amentiæ materiem tam operoſam ſimul & inconcinnam εποικοδομειν, quæ cum fundamento & ædificii totius compage neutiquam cohæreret? quantæ porro audaciæ & impietatis ea ipſa, quæ ſejunxerat Deus, ſedulo conjungere, &, quæ Ille jam reſcindi & abrogari voluit, eadem denuo ſancita revocare & tueri, imo etiam omnibus ut ad ſalutem neceſſaria præcipere: — επιθειναι ζυγον επι τον τραχηλον των μαθητων, ὁν ουτε οι πατερες ἡμων ουτε ἡμεις ιϛυσαμεν βασαϛαι — Quid iſthoc eſſe dicam? — pravitatis, pene dixerim, pluſquam *Judaicæ* exemplum! — quid hoc eſt aliud quam fundamenta ipſa ſubruere & evertere, adiaphora pro neceſſariis, non divina pro divinis imperare: &, prout alibi loquitur *Paulus* hac ipſa de re ad *Galatas* ſcribens, prorſus ἑτερον ευαγγελιον ſubſtituere? En ergo cauſam Deo dignam vindice! hominumque ſuperſtitioſorum pervicaciam decreti Apoſtolici autoritate interpoſita repreſſam!

Hæc

Hæc atque alia hujuſmodi, quæ paſſim occur-
runt, exempla recolens quis non videt cautelæ vel
admonitionis hujuſce Paulinæ cauſam juſtiſſimam
ſubminiſtrari?

ΕΚΑΣΤΟΣ ΔΕ ΒΛΕΠΕΤΩ ΠΩΣ ΕΠΟΙΚΟΔΟΜΕΙ.

Eccleſiæ quidem apud *Corinthios* fundamen-
tum à ſe poſitum non ſine laude quadam ſua re-
cognoſcit *Paulus:* eam vero honorifice appellat
οἰκοδομην Θεȣ, ut intelligi poſſet tum quanta eſſet
operis ipſius dignitas, tum qualis in eo admini-
ſtrando adhiberi debeat ſollicitudo atque integri-
tas.

ΑΛΛΟΣ ΔΕ ΕΠΟΙΚΟΔΟΜΕΙ·

Videbatur hâc in parte non defuiſſe opificum of-
ficioſa ſedulitas: ad Eccleſiæ ſtructuram perfi-
ciendam vel decorandam alii atque alii operas
haud inviti contulerunt. Scilicet in Architecto-
nica hac morali, perinde ac civili, omnibus fere
mira quædam ineſt ædificandi cupiditas: pleri-
que vocati ſive non vocati Doctorum & nomine
gaudent & officio, cum qui docent eo ipſo plus
aliis ſapere videantur. Sed ædificantium conſilia
ſæpe non eadem, non materiæ ejuſdem delectus,
ſtructuræ ratio non eadem; atque adeo opifi-
cum, qui in hac τῃ Θεȣ οἰκοδομῃ verſantur, vel
Theologorum merita, ſive affabre atque ſolerter
rem adminiſtraverint ſive ſecus, judicii divini
trutina expenduntur, ἑκαςȣ το ἐργον φανερον γενησε-
ται, &, operantibus idonea ne deſint incitamenta,
ex utraque parte, pœnarum atque præmiorum
præſenſio objicitur: ὁ μεν μισθον ληψεται, ὁ δε ζημι-
ωθησεται.

En

En ergo cautionis hâc in parte adhibendæ rationem, & eam quidem duplicem; tum eam nempe quæ materiæ ipſius ſpeciem, tum vero eam quæ illius ordinandæ modum reſpicit; in altera parte ſolers delectus requiritur, in altera conſtructionis artificium: tum in hac tum illa erroris eſt periculum haud leve: caveat ſibi quiſque haud fruſtra præmonitus — ἑκαστος δε βλεπε[ω πως επ-οικοδομει.

Et materiæ quidem, quæ huic fundamento ſuo aſtrui ſolet, Apoſtolus diverſa recenſet genera, & effectus indigitat diverſos, allegoriam ab Architectonica tranſlatam ſic latius proſequens. Ει δε τις εποικοδομει επι τον θεμελιον τουτον χρυσον, αργυρον, λιθους τιμιους — ξυλον, χορτον, καλαμην — εκαστου το εργον φανερον γενησεται. — Jam vero qualem materiæ delectum *Paulus* præcipit, qualem autem repudiat, hæc deſcriptio ſatis indicat. Materiæ ſane, quæ in uſus diverſos adhibetur, diverſa eſt dignitas pretiumque: atque adeo dogmatum, quæ ſyſtemati Chriſtiano aſtruuntur, & imagine hac allegorice denotantur, par eſt ratio. Per Aurum igitur, Argentum, & Lapides pretioſos, id potiſſimum deſignari videtur, quod eſt in ſuo genere præſtantiſſimum: inter lapides Marmora, inter metalla Aurum, Argentumque habentur perfectiſſima; ſiquidem præ cæteris pondere, firmitate, pulchritudine & puritate antecellunt; atque adeo in palatiis extruendis ædibuſque regiis præcipua eorum cernitur utilitas, tum ad ſtabilitatis præſidia, tum etiam ad dignitatis ornamenta. Jam vero hæ proprietates Phyſicæ ita ſunt ab Apoſtolo ad uſus morales traduc-

tæ,

tæ, ut religionis Chriſtianæ doctrinas denotent, non indiſcriminatim omnes, ſed eas præſertim, quæ momenti fuerint graviſſimi, ad ſalutem æternam neceſſariæ, ſed ſolidas & probatas, ita inter ſe connexas ut diſſolvi nequeant, quæ immobilis fundamenti quaſi commiſſuris inſertæ perſtant immobiles: doctrinas, inquam, veritatis pluſquam humanæ ſplendore ipſo admirabiles, & (quod præcipuum quiddam eſt) judicii acerrimi examine, veluti ignis tormento admoto, adeo non attritas aut corruptas, ut ſordibus deterſis etiam puriores eniteſcant; ita ut ipſe exitus rerum promiſſionis hujuſce propheticæ fidem adimpleverit: επι ταυτη τη πετρα οικοδομησω μου την εκκλησιαν, και πυλαι ἁδου ου κατισχυσουσιν αυτης.

Hæc in genere breviter dicta ſunto de *materiæ* delectu, & ædificii juſta conſtructione, ſive de doctrinis ſanioribus & *fundamentalibus*, quales fundamento jam poſito conſentaneas & cognationis quadam neceſſitudine conjunctas aſtruere oportet.

Jam vero ex alterâ parte quid *Paulus* intelligi velit per ξυλον, χορτον, καλαμην — brevis inſtituitur diſquiſitio, neque ſane difficilis conjectura. Quis non videt materiem deſignari vulgarem quidem illam, dignitatis & pretii minoris, & momenti levis, materiem profecto minus ſanam utilemque; & illius ſpecies duas, quarum altera videtur adeo fragilis & infirma, adeo inepta & incongrua, ut nullo modo ad ſtructuram quidquam conferat, niſi quod ruinam pariat inevitabilem: altera vero, quæ plus firmitatis habere putatur, ita eſt comparata, ut diutiſſime conſiſtere

tere non poſſit, quoniam cum fundamento, cui aſtruitur, minus apte cohæret, neutiquam, ut Apoſtolus noſter alibi, συναρμολογουμένη ὡς αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν Κυρίῳ· neque porro partium ſuarum compage ſolida & bene coagmentata ſibi conſtat inconcuſſa & immutabilis; ſed uſque pluvias & incendia metuit, ne aut illis ſenſim corrupta putreſcat, aut his admotis illico pereat diſſoluta penitus & abſumpta.

Quales ergo Doctrinas ab Apoſtolo deſignari dicam? eas certe quas materiæ conſimilis analogia ſuggerit. Quales vero illæ in ſpecie fuerint, cum nihil videam diſerte definitum, nihil certi auſim ſtatuere: at vero rem omnem inveſtigans nihil reperio criminum atrociorum, nihil (prout jam ſupra notavimus) pravitatis *Hæreticæ*; ſiquidem enim tale quidquam extitiſſet, diverſa profecto fuiſſet cenſuræ Apoſtolicæ ratio, nec tam *cautio* fuiſſet injecta, quam *anathema* denuntiatum; cum aliud quiddam ſit fundamentum novum ponere, aliud fundamento jam olim poſito ἐποικοδομεῖν. Illud interim pro certo ſtatuere non dubitamus, Doctorum in Eccleſia *Corinthiaca*, qualiſcunque demum fuerit, cauſam ab illa Pſeudapoſtolorum apud *Galatas*, quam *Paulus* diſtinctius & acrius notavit, fuiſſe longe diverſam. Peccabant & Hi quidem & Illi, qui ſyſtemati Chriſtiano aliquid novi de ſuo auſi fuerint aſtruere. At certe Horum flagitium erat multo atrocius, qui ritus Moſaicos non modo ut licitos tolerabant, ſed etiam ut ad ſalutem æternam neceſſarios fratribus Chriſtianis imperabant, εἰ μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει τοῦ Μωσέως οὐ δύνασθε σωθῆναι, quid

quid enim hoc erat aliud quam Evangelii conditiones ipſas fundamentales mutare atque alias ſubſtituere, atque *aliunde* ſalutem quam in Jeſu Chriſto quærere — & aperte θεμελιον αλλον θειναι παρα τον κειμενον, ὁς εστιν Ιησους Χριστος. Hos igitur *Paulus* anathemate ferit emphatice iterato.

At vero *Corinthiorum* longe alia videtur cauſa: peccabant illi quidem, non tam malignitate animi & pervicacia, quam præjudiciis popularibus decepti; levitatis certe & arrogantiæ, quæ *Græcorum* hominum animis utplurimum inſidebat, crimine tenebantur, ingenio ſuo & Auditorum libidini nimium obſecuti: aurium nempe lenocinia & orationis neſcio quas phaleras ſplendoremque affectabant; cum vero tale quidquam in Evangelio fruſtra quærerent, è penu ſuo depromendum, & ad religionis Chriſtianæ, tanquam ad inculti corporis ornamentum atque commendationem, ſedulo ſibi adhibendum eſſe cenſebant.

En ergo illud quod in Eccleſia *Corinthiaca* ὁ αλλος επιοικοδομει! dogmata quidem (prout ſupra jam innuimus) minus ſana atque ſolida, ſplendida forſan & curioſa, ſed inutilia & inepta, ingenii plane humani figmenta, non ſapientiæ edicta, ea demum quæ ad oſtentationem potius & ornatum, quam ad aliquam Eccleſiæ utilitatem vel οικοδομιν comparata videbantur. Illorum certe & ſyſtematis Chriſtiani cui aſtruebantur diſparem eſſe cauſam ipſe rei exitus commonſtrat. Quid enim? veritas Evangelica, velut ignibus aurum, quo exploratur magis eo eniteſcit clarius, imo vero illius puritati luculentius illuſtrandæ accedit inſuper tormenti ipſius teſtimonium. At vero

hypotheſes philoſophicas & opinionum commenta delet dies; utcunque enim ad tempus novitatis gratia florere & celebrari contigerit, ad veritatis tamen criterion revocata illico ſe produnt &, veluti fænum aut ſtipula ignem admotum, examen illud ακριβεςατον refugiunt & perhorreſcunt: εκαςϑ το εργον φανερον γϑησεται, ἡ γαρ ἡμερα δηλωσει, ὁτι εν πυρι αποκαλυπτε῀, και εκαςϑ το εργον ὁποιον εςι το πυρ δοκιμασει.

Hæc de *materiæ* quæ fundamento aſtruitur *delectu:* cujus rationem diverſam effectus diverſi indicant; ſupereſt ut illam alteram admonitionis Apoſtolicæ partem quæ modum conſtructionis reſpicit breviter animadvertamus. Εκαςος δε βλεπετω ΠΩΣ επικοδομει· non *quid* ſtructuræ ponat ſed quo *modo.*

Quis non videt hâc in parte permultum arbitriis hominum permitti, ita ut actionis ejuſdem *modus* prodigialiter variari poſſit? Hâc in parte quidlibet audendi licentiam ſibi indulgeri putant, atque adeo nova quædam uſque moliri gaudent, &, dum ſibi ſuiſque placent, libenter atque ſedulo peccant. In quo igitur ad peccandum cernitur proclivitas facilior, in eo cautio adhiberi debet diligentior.

Ecquis igitur quærit πως επικοδομειν oportet? videat imprimis id quod cogitanti fundamenti ratio ipſa ultro ſuggerit: nempe ut quod ſuperſtruitur illud omne cum ichnographia adæquatum ad amuſſim quadret: ut lineamentis, quæ deſignaverat Architectus, operis & figura & magnitudo reſpondeat: ut porro ſingulæ partes inter ſe mutuo nexu aptatæ cohæreant: ut totius demum

demum ſymmetria juſta ſervetur, ita ut nihil vel intra peccetur vel extra, ita ut nihil vel limitibus deſcriptis contractius & anguſtius efficiat artificis ſive hinc parſimonia vel ſcrupuloſa neſcio quæ ſuperſtitio, ſive illinc latius æquo extendat ambitio & arrogantia; ſed materiæ atque formæ ratione ſimul habita, παντα ευχημονως και κατα ταξιν γινεσθω. Quid autem? de Tabernaculo Moſaico, templo illo ſuo portabili, ædificando & ornando, σκια και ὑποδειγματι των επουρανιων, quam ſollicite & exquiſite curam impendiſſe videtur Deus? haud profecto rem tantam Artificum quorumlibet ingenio & libidini permiſit, verum ipſe conſtructionis formam modumque præcepit: καθως κεχρηματισται Μωσης μελλων επιτελειν τὴν σκηνὴν· ὁρα γαρ, φησι, ποιησης παντα κατα τον τυπον τον δειχθεντα σοι εν τῳ ορει. Tali documento admonitus videat Eccleſiæ Chriſtianæ ὁ σοφος αρχιτεκτων quam caute atque religioſe de opificii modo ſibi ſit providendum. Imprimis adeo ipſa materiæ, in qua diſponenda verſatur, dignitas atque etiam ſanctitas ſummonet, nequid vulgare nequid prophanum temere admiſceatur. Θεου εστιν οικοδομη· hoc recolens ſentiat in eo ſibi eſſe elaborandum, non quod forte privata libido ſuadeat, ſed quod divina voluntas exigit, nec hujuſmodi in cauſa quidquam faſtidiis aut ſuis aut alienis eſſe indulgendum, non quoviſmodo ſibi pro libitu eſſe operandum, ſed ratione certa & præſcripta, prout Evangeliſtam Chriſtianum decet, εργατην αναισχυντον ορθοτομουντα τον λογον της αληθειας. Quodſi forſan ad orationis ornatum aliquid extrinſecus adſciſci contigerit, ne ſit alienum prorſus & in-

congruum, ſed ejuſdem, ut ita dicam, coloris & figuræ; ſed interim caſtitatis & decori ratio habeatur, nec religionis Chriſtianæ, veluti matronæ cujuſdam venerabilis corpori, decorationis plane meretriciæ fucum appingi patiatur. Fuiſſet ſane iſthoc *Corinthiorum* olim, imo etiam nunc & *Pontificiorum* ingeniis placiturum—ὑμεις δε ουχ ουτως εμαθετε τον Χριστον.

Verum enimvero quid eſt quod in hoc opere Architectus quiſpiam extrinſecus & aliunde quærat ſubſidia, qui materiem pretioſiorem, χρυσον, αργυρον, λιθους τιμιους, ultro manibus oblatam videt? ædificium certe hoc fundamento, his parietibus & columnis inſtructum, ſibi conſtans & immobile, humanarum, quotquot ſunt, artium nec ulla ad ſtabilitatem adminicula ſuppoſititia, nec ad ſplendorem ornamenta quævis aſcititia deſiderat; quippe genuinam exhibens ſine oſtentatione dignitatem, ſine artificio pulchritudinem, ſive, quod eſt pulchritudinum inſtar omnium, ſimplicitatem decoram. Quiſquis igitur, ὡς σοφος αρχιτεκτων, επιτιθεναι, vel de ſuo quidpiam aſtruere velit, hoc potiſſimum reſpicere meminerit, atque artis Architectonicæ laudem ita quærat, ut artificii ſpeciem oſtendat minimam, ſed ad ſimplicitatis primævæ exemplar omnia referat. En autem hac in parte & præcepta Apoſtolica & exempla! en Patrum primævorum Epiſtolas, Profeſſiones fidei, Conciones! videte eorum oratio quam fuerit inornata & mere didactica, in Redemptionis humanæ per Jeſum Chriſtum doctrina, in fundamentalibus quibuſcunque proponendis omnis fere verſata.

Paula

Paulo certe noſtro non facultatis oratoriæ, non literarum humaniorum commendatio defuit: nec profecto quiſquam *Corinthiis* curioſa & recondita, quæ ut plurimum affectabant, acroamata uberiori cum laude ſua plauſuque populari prædicare poſſe videbatur. Verum iſthoc ille ſemper ſedulo vitavit, adeo nihil omnino εν διδακτοις ανθρωπινης σοφιας, quod famam gratiamque ſibi conciliaret, aſſequi ſtudens, ut vix aliud quidquam præter Chriſti merita, Crucifixionem, Reſurrectionem, dogmata profecto minime popularia aut probabilia, imo vero & Philoſophorum placitis & vulgi ſenſibus repugnantia obtruderet uſque & inculcaret. Ου γαρ εκρινα, inquit, τ̀ ειδεναι τι εν ὑμιν ει μη Ιησ̀ν Χριστον και τ̀τον εσταυρωμενον. Nempe ad *Corinthios* acceſſit non Orator ambitioſus, ſed Evangelii Præco legatus, καταγγελλων το μαρτυριον τ̀ Θεȣ̀. Jam vero in Præcone poſtulatur non ingenii aut eloquentiæ laus, ſed in promulgando fides, in enuntiando claritas. Neque ſane more alio uſus eſt & ille, qui poſt *Paulum* ad *Corinthios* haud abſimili de cauſa epiſtolas ſcripſit, *Clemens Romanus*. Imo vero & omnium fere in primis iſtis Eccleſiæ adhuc vexatæ temporibus eadem eſſe videtur diſciplina communis, idem vitæ & ſcriptionis color, eadem orationis, perinde ac morum, ad normam Apoſtolicam compoſita ſimplicitas. Religio erat illis & plane piaculum à fundamento jam poſito ullatenus diſcedere: quod Deo tribuerent omnia, erat iſthoc Pietatis: quod parce admodum cauteque de ſuo quidquam aſtruerent, erat hoc vereçundiæ & moderationis, imo & prudentiæ. Nos quidem hæc documenta eo animo

mo intueri decet ut ad rem noſtram pertinere ſentiamus. Εκαστος δὲ βλεπετω πως εποικοδομει tum & *quid* ſuperſtructuræ, & *quatenus* apponere liceat. Sic itaque ſua cuique conſtet ratio: imprimis ſacra ſcriptura ponatur fidei morumque regula; quid igitur illa de re unaquaque ſtatuat explorare oportet, & quæcunque in præmiſſis virtualiter continentur concluſiones bona fide deducere; hinc credenda quædam & agenda dignoſcere & profiteri, non tam quia hypotheſi vel ſyſtemati cuivis propria, quam quia voluntati divinæ maxime conſentanea. Atque adeo, quoties eorum, quæ recondita & involuta concludebantur, proponitur explicatio & applicatio — quoties veritatum aliarum ex aliis pendentium connexio demonſtratur — quoties, quæ in genere erant declarata aut præcepta, eadem illa in ſpecie & re ipſa exhibentur, — toties Architecturæ illius theologicæ, quam *Paulus* laudaverit, exempla videre videor. Quiſquis ita rem adminiſtrat, næ ille ὡς σοφος αρχιτεκτων εποικοδομει· Proinde & nos, temperamento quodam & cautione interim adhibita, fundamento jam poſito aliquid inſuper aſtruere non veremur, ſed id, quod eſt omnino congruum & conſentaneum; & generale quodvis effatum ita interpretari, ut inde aliquid ad uſus ſpeciales transferendum eliciamus: atque adeo, ſacræ ſcripturæ analogiam & tenorem patrumque primævorum autoritatem ſecuti, in Politia Eccleſiaſtica regimen *Epiſcopale*, in Doctrinarum ſyſtemate *Pædobaptiſmum* admittendum eſſe arbitramur. Atque utinam ſane eadem illa, quæ in temporibus primævis, nunc quoque valeret anxia

verbi

verbi divini reverentia, eadem in judiciis hominum privatis temperantia & moderatio! ſed profecto in his Eccleſiæ ſæculis ſequioribus Architecti recentiores noſtri à ſimplicitate & firmitate priſtina ad elegantiarum neſcio quam luxuriem novam deſciviſſe videntur, nec tam ex præſcripto Apoſtolico, quam ex libidine ſua εποικοδομειν imo & παρα θεμελιον τον κειμενον hypotheſes & ſyſtemata de ſuo elaborata concinnare — ingenii potius quam integritatis laudem quærere, gratiam popularem aucupari — & hominibus demum potius quam Deo placere velle. Et Hi forſan, velut olim Barbaros *Græci*, & ut *Paulum Corinthii* ſui, irrident patres primævos, ut rudes & illiteratos, nec auſos ultra nidum pennas extendere: eſto ſane: at vero in ipſorum laudem tranſeunt hæc opprobria, cum ex eo ipſo ſtructuræ firmitas agnoſcatur, quod artium humanarum ſubſidiis deſtituta nihilominus inconcuſſa & incolumis uſque perſtiterit. Qui nihil aliud in votis curiſque habuerunt, quam ut Evangelii puritatem dictis factiſque inviolatam tuerentur, non Illi profecto facultatis Dialecticæ, non Oratoriæ inſtrumentis indigebant: ad eos potius haud vana opprobria redundant, quorum ſyſtemata theologica ſine tanto artificii apparatu conſtare nequeunt. Et quidem qui ſapientiæ non tam divinæ (cujus tamen nomen ſibi prætendunt) quam humanæ dogmata venditare gaudent, næ Illi artium humanarum opem cognatam haud fruſtra deſiderare videntur. Atque utinam hæc ſubſidia literaria non aliter unquam quam ad religionis Chriſtianæ doctrinas ſive defendendas ſive illuſtrandas

trandas fuiſſent adhibita: verum ſentio quam difficile ſit eo non abuti, cujus uſus eſt longe pulcherrimus, præſertim ubi mortalium animos ambitio, φιλοκερδεια, vel prava æmulatio inceſſerit. Neque ſane eſt diſſimulandum pleroſque nimium rebus novis gaudere & plane κορινθιαζειν, in religione ſcilicet licenter philoſophari velle, & de Chriſtiana, perinde ac re quavis philoſophica, aut politica, λεγειν η ακουειν τι καινοτερον· quo quidem nihil magis Chriſtiano nomine indignum; nihil certe à fundamento noſtro *Paulino*, quod ſimplex quoddam eſt & immutabile, magis alienum videtur.

Quoniam vero de *materiæ delectu* & *conſtructionis modo* jam multa ſatis dixiſſe videar, admonet argumenti decurſus ut quid hac in parte à quibuſdam peccatum fuerit breviter animadvertam. Atque imprimis adeo notanda mihi occurrunt *commentatorum* quorundam atque interpretum vitia, qui, cum opiniones domi præjudicatas attulerint, ad ſcripturas explicandas ita accedunt, ut judicia ſua non ad ſacri ſcriptoris mentem componant, ſed ut illius verba quoquo modo in partes ſuas invita trahant, & ad ſyſtematis ſui defenſionem detorta accommodent, illiuſque autoritate prætenſa ſe ſuaque omnia tueantur atque commendent. Inter Theologos quotuſquiſque eſt, qui fundamento huic *Paulino* inſiſtere ſe non profiteatur, & dogmata ſua omnia ad *Paulum*, atque adeo *Chriſtum* ipſum autorem referri? interim vero quid hoc rei eſt? de re eadem ſcribentes, in eadem cauſa verſantes, inter ſe immane tantum diſſidere, imo & plane repugnan-

tia

tia ſtatuere, — hoccine eſt credibile aut memorabile? Quid autem? μεμερισται ὁ Χριστος? num ſibi *Paulus* contradicit, ſententiarum autor contrariarum? — minime vero: imo ſane nihil aliud video quam inanes hominum contentiones ita à ſe invicem diſcrepantium, ut etiam ab ipſo fundamento diſceſſerint. Gaudent ſcilicet aliquid επιοικοδομειν; quippe in eo cernitur Doctorum præcipua laus & ingenii commendatio: inde adeo commentationes commentationibus oppoſitas ingerunt: ſua interim judicia tuentur, non Apoſtoli ſententiam: non tam de *re ipſa*, quam de *interpretandi modo* lis agitur; hoc nempe illud eſt, in quo ſibi placent maxime, quia quantum quantum eſt id omne eſt de *ſuo:* itaque ergo inter interpretes diſſenſio tam vehemens agitatur.

Alii porro ingenii certe levioris, at, prout ſibi videntur, elegantioris, adeo non aliquid ſolidæ & reconditæ eruditionis ſibi arrogant ut ad ſpeciem externam atque oſtentationem omnia comparari velint: in Architectura hac Eccleſiaſtica ita verſati, ut minuta quædam ædificii decora & tenuiores elegantias gnaviter elaboraverint, nihil vero quidquam quod ad dignitatem conducit aut ſtabilitatem. Itaque in Capitulo vel Epiſtylio forſan vel Coronide polienda laborem haud exiguum impendi vidimus: interea vero de momenti gravioris rebus, de columnis ακρογωνιαις, de fundamentalibus quibuſcunque conſtituendis peritiam plane nullam curamque exerceri. Fundamento noſtro quid επιοικοδομειν videatur hoc artificum genus ineptum atque inutile, haud facile dixerim. Hi tamen haud raro in Eccleſia Doc-

torum nomine & officio gaudent, concionatores mire δημαγωγικοι, vulgi auribus & affectibus lenocinantur, populares plausus & admirationem captant, nec tam prodesse cupiunt quam quovismodo placere; atque adeo, quod ipsum in Pseudapostolis *Corinthiis Paulus* reprehendit, veritatem Christianam exhibent non simplicem illam & genuinam, sed ornatu quodam urbano & speciosо indutam: *Pauli* argumentationem, quæ potius erat explicanda, sedulo negligunt & aspernantur, aliquid interim de suo interserunt, ingenii sui commenta venditant, &, Apostolici cum præcepti tum exempli ratione prorsus inversa, ἑαυτὸς κηρυσσουσιν & Χριστον Ιησουν Κυριον, laudum suarum potius quam Evangelii præcones.

Est aliud hominum genus, contentiosum quidem illud & irritabile, nec minus arrogans & fastidiosum: hi, cum ingenio polleant acriori & audacia, *Criticorum* nomen famamque invadunt: de verbis quibuslibet perinde ac sententiis argute philosophantur: nihil humile aut vulgare spirant: ad severitatem compositi sapientiæ cujusdam profundioris speciem sibi prætendunt: imo vero ita supra vulgus sapere gaudent, ut etiam extra simplicitatem Evangelicam identidem sapere videantur. Ita sibi placent, ut aliis sedulo displiceant importuni censores: singulare quiddam aggredi amant: ingenii laudem parit felix audacia, & demonstrationis vim arrogat quævis conjectura. In Architectura nostra ne non ipsorum solertia mirabilis conspici possit, novum certe quiddam quoquo modo astrui oportet, vel constructa refingi. Vereor sane ut *Petro Pauloque* dictorum fides

constet

conſtet incaſtigata, utque *Moſi*, utcunque Dei teſtimonio confirmata, minus firma ſit autoritas, niſi inſuper paradoxa quædam argumenta in ſubſidium acceſſerint. De eruditionis ſuæ oſtentatione magis quam cauſæ cujuſlibet defenſione ſolliciti, nihil tam verentur quam ne aliqua de re dubitare videantur: ad ſcriptorem quemvis adverſantem gladiatorio plane animo affectant viam, & in controverſiis omnibus non tam veritatis demonſtrationem quærunt, quam victoriæ gloriam: pro libidine ſua vertunt & invertunt omnia, diruunt quæ poſtmodo ædificent, miſcent omnia & conturbant, quæ mox in ordinem novam & pulchriorem à ſe revocari poſſe putant: difficultatum nodos arctius conſtrictos exhibent, ut eo magis ſolutionis artificium laudetur. Utinam ſane id ipſum, quod in literis humanioribus & philoſophia pro libitu factitant, in Theologia ſaltem parcius & verecundius attentarent! at paginæ quoque ſacræ textum novimus ab illis diverſimode vexari & detorqueri, & adhibito tormento, neſcio quo, concluſiones inde novas & paradoxas elici, novas deinde hypotheſes procudi, ita ut aliquando prodierint non tam interpretes dogmatum, quam autores. Hac una in parte conſilio utcunque diverſo, Apoſtoli exemplum ſequi videntur, illud præcipue caventes *ινα μη επι θεμελιον αλλοτριον οικοδομωσιν*, verum & præceptum illud ſimul adhibeant, *μη ὑπερφρονειν παρ' ὁ δει φρονειν· αλλα φρονειν εις το σωφρονειν.*

Supereſt & aliud hominum genus à me commemorandum, qui in ſuperſtructura hac Theologiæ toti verſabantur, qui, ingenii ſubtilitate quo

valebant magis, eo plus detrimenti rei Chriſtianæ intulerunt. Doctores intelligi velim Scholaſticos, illos dominationis Pontificiæ fabricatores atque ſatellites. Illi ſane fundamento huic *Paulino* dogmata prorſus nova & antehac inaudita, incongrua certe imo & incredibilia aſtruere non dubitarunt. Interea vero *Pauli* interpretes atque commentatores præcipuos ſe jactitarunt, reconditæ eruditionis ſuæ fama & credulitate vulgi in rem ſuam haud incommode abuſi. Et illud certe effecit illorum ſolertia ſive obſcura diligentia ut fundamenti à ſe poſiti veſtigia *Paulus* agnoſcere non potuerit, ut ipſe mentis ſuæ non ultra compos dogmata protulerit non ſua, ſed ſubſtituta interpretum ſcholaſticorum commenta. Hi homines ad religionem Chriſtianam corrumpendam ſobrii acceſſerunt: otio ſuo & facultate dialectica male uſi nihil aliud fere egerunt quam ut ſententiarum ſimplicitatem aut gloſſemate quodam adulterino deformarent, aut ſubtilitatibus metaphyſicis diſcerperent, omnia denique explicando & commentando ita immutarent, ut reddiderint proprie ſua: interim opiniones & hypotheſes ſuas *Paulo* autori affingere, & ingeniorum delirantium figmenta tam venerandi nominis autoritate præmunita commendare non verentur. Hujus inſcitiæ vel audaciæ ſingularis exempla quæritis? in promptu ſane illa neque longe petenda: in hac ipſa, cujus portiunculam explicandam ſuſcepi, ſacræ ſcripturæ pagina inſigne documentum exhibetur. Sic enim paulo infra ἑκαστ το εργον φανερον γενησεται· ἡ γαρ ἡμερα δηλωσει ὁτι εν πυρι αποκαλυπτεται, και ἑκαστ το εργον ὁποιον εσ

τι

το πυρ δοκιμασει. Quis non videt ignem hunc (qualiſcunque demum fuerit) re ipſa eſſe *exploratorium*? dein explorationis hujuſce in utramque partem effectus memorantur diverſi ſc. alter μισθον λημψεται, alter vero ζημιωθησεται· indigitatur denique ſalutis periclitatio, & evaſio ſane difficilis: αυτος δε σωθησετ), ουτως δε ως δια πυρος· non aliud patitur verborum ipſa vis & ſententiæ ratio. Quid autem religioſi iſti interpretes? verba hæc ita detorquent & pervertunt, ut ex iis, cum aliunde aſtrui non poſſet, ignis ſui *purgatorii* demonſtrationem eliciant. Miremini magis vel indignemini interpretationem videntes tam abſurdam & incongruam, tam à communi omnium ſenſu, & Apoſtoli mente prorſus abhorrentem?

Quoniam vero in Doctores hoſce ſcholaſticos incidimus, pauca quædam, nec à re noſtra quidem aliena, ulterius de iis in tranſcurſu animadvertere libet; quoties enim illorum mores, επιτηδευματα και πολιτευματα, dominationem, adulationem, fallacias, & immania illa, quæ ad rem publicam Chriſtianam ex hoc fonte derivata fluxerint, damna recolo & dedecora, toties infamem illum Pſeudoprophetarum gregem, intueri videor, quorum vanitatem & nequitiam ab *Hieremia* paſſim & *Ezekiel* deriſam, reprehenſam, atque proſtratam agnoſcimus. En horum & illorum pias fraudes populique ultro decepti damnum irreparabile! Hi pariter concionibus & commentationibus ſuis autoritatem divinam prætendebant: ſcilicet nomen *Domini* præmiſſum dictis fidem quaſi imperatam fecit: at vero illa ipſa dicta non Domini Jehovæ mentem expoſuerunt, ſed

ſed Pſeudoprophetarum artificium: nempe illis religio plane erat ea, quæ peccanti populo imminebant, mala pronuntiare; — acerba autem & ingrata omnia diſſimulare ſedulo — bona omnia dicere — *pacem, pacem*, — in periculis ſecuritatem polliceri, & verborum lenociniis gratiam popularem conciliare, Hæ illis erant artes; hinc quæſtus multo uberrimus. Hoc intuens ut rem plane miram atque horribilem de iis ſic loquitur *Hieremias*, "Prophetæ vaticinantur mendacia & "ſacerdotes applaudunt, & eorum ope domi- "nantur; populus interea deceptus ſibi placet & "errore gaudet ſuo. Quorſum vero hæc tendunt "omnia, niſi ad reipublicæ perniciem?

Quis non hæc jure crediderit ad *Pontificiorum* cauſam apte tranſlata pertinere, & eorum politiam Eccleſiaſticam hac deſcriptione compendiaria quodammodo prophetice deſignari?

At vero *Ezekiel* hac de re multo fuſius atque diſertius verba facit; quæ quidem ideo à me & quidem libentius commemorantur, quia hanc ipſam Allegoriam noſtram ab arte Architectonica deſumptam exhibent: ſic enim Ille de Pſeudoprophetarum artibus "aliquis murum exædi- "ficat: eundem vero alter cæmento male præ- "parato illinit: triumphant interim artifices: "applaudit populus." — At exitum rei videte: repente cœli *quaſi* irati armamentaria ad oppugnationem expromuntur: ventorum pluviarumque tempeſtas ingruit: ilicet in artificum opprobrium populique conſternationem murus corruit. Tum circumſtantium aliquis forte ſic ruinis inſultans: "ubi nunc ille quem admirabimini mu- "rus?

"rus? ubi nunc & Illi, qui in eo extruendo & "illinendo operam poſuerunt inanem?" Hæc Ille de Pſeudoprophetis: quorum ſane ad rem noſtram neque inepta neque difficilis videtur tranſlatio. Exſurgit ſcilicet in Eccleſia aliquis forſan præ cæteris Doctor arrogans & ambitioſus, ædificandi mire cupidus, magna quædam pollicitus, forſan etiam & auſus. Rem adeo novam quandam & ſpecioſam aggreditur; non ſane, ut noſter ille ὁ σοφος αρχιτεκτων, de fundamento imprimis recte ponendo ſollicitus, ſed de minutiis quibuſdam elaborandis, ſed ornamenta ſpeciemque externam curans unice, famæ nimirum ſuæ gratiæque popularis ſtudioſus, vanæ ſpei ſtructuram molitur, & forte murum extruit, ambitionis monumentum ſuæ: alius deinde atque alius accedit operum adjutor atque particeps, extructum illinit ornatque, laudiſque tantæ conſortio gaudet. Verum quid hoc tandem rei eſt? Deum mihi videre videor aliquando fraudis ultorem indignari, irarum turbines prorumpere, opificium ſimul & opifices diſſipari, proſterni. Atque ita demum perit ille mendax Pſeudopropheta; populique vana ſpes omnis interciſa, veritas prophetica, tanquam miraculis illuſtrata, præſentem teſtatur Deum.

Nonne ad Pſeudoprophetas *Pontificios* illos quorum modo memini, hæc ipſa parce detorta pertinere intelligitis? ad illos, quorum piæ fraudes hac in imagine deſcriptæ exhibentur? Quis neſcit in Eccleſia *Romana* jam olim extitiſſe viros, qui in religione adminiſtranda rebus novis ſtuduerunt, qui præter fundamentum ab Apoſtolo

tolo ſolerter poſitum aliquid etiam de ſuo extru
re cupierunt: extitiſſe itidem alios qui nova ha
avide arripuerunt omni ſtudio excolenda & o
nanda: "alter ædificavit murum & alter cæmen
"to male præparato illevit:" extiterunt, inquam
viri ingenio ſimul & audacia ſingulari, qui in re
ligione philoſophantes effrænem quandam licen
tiam ſibi indulſerunt, atque hypotheſes quaſdam
novas plane & inauditas elicuerunt, miro ſan
artificio elaboratas & contextas: extiterunt ite
dem alii, qui eaſdem opera omni tum defende
das tum illuſtrandas ſuſciperent. Ut cæteros ta
ceam recognoſcite mecum, unum inſtar om
nium, hâc in parte principem virum, *Petrum*
Lombardum. Ecquis quid ille effecerit rogat
novam profecto Ille in ſchola Chriſtiana philoſo
phandi artem excogitavit: dogmatum theologi
corum minutias mira ſubtilitate inveſtigavit
quæſtiones & concluſiones novas elicuit — theo
logiæ demum ſummam in ſententias quaſdam
præcipuas collectam digeſſit, ex eo ipſo apud
poſteros nomen memorabile adeptus *Magiſter*
Sententiarum: quid deinde porro? hominis cele
berrimi fama alios itidem in laudis tantæ æmula
tionem impulit, &, quem ille extruxerat, mu
rum opifices alii atque alii ſedulo ſibi illinendum
& decorandum ſumpſerunt; ſiquidem Ille tan
tam ex eo gloriam conſecutus fuerit quod diſper
ſa theologiæ dogmata ad ſyſtema quoddam arti
ficioſum revocaverit, erat ſane in quo & ſibi non
fruſtra eſſe elaborandum viderent: imo quidem
plerique ſatis habuerunt in ſecundis ſubſiſtere, &
Magiſtri talis veſtigia ſervili quodam ſtudio pro-

equi: imo vero præclarius atque θεολογωτερον videbatur illius ſententias, quam ſacras ſcripturas interpretari & commentariis illuſtrare: quaſi nihil ille prorſus in theologia neſciret qui *Lombardum* intelligeret. Hinc in ſæculis iſtis obſcurioribus nata hominum ſcholaſticorum gens, qui, & otio, quo nimium abundabant, & acri ingenio male uſi, id potiſſimum egerunt ut hypotheſes quaſdam inſuper procuderent novas, in omni genere difficiles elaborarent nugas, ſubtilitates quaſlibet efficerent ſubtiliores, metaphyſicarum denique argutiarum laude magiſtrum ſuum ſuperarent, atque adeo diſputationum materiem plane infinitam, in quibus facultas ſua Dialectica non ſine gloriæ quadam ſpecie exercitari poterat, pro libidine ſua ad faſtidium uſque pepererunt. Vidimus in ſcirpo quolibet nodum ab ipſis quæri, in dubium fere omnia vocari, aut diſtinctionibus & diſtinctiunculis ita minutatim reſecari, ut nihil prorſus ſolidi ſit relictum: nec aliud quidquam quam inanes quaſdam λογομαχιας agitari, αἱτινες ζητησεις παρεχουσι μαλλον η οικοδομιαν Θεου της εν πιστει. Interea vero haud leve detrimentum accepit res publica Chriſtiana: Doctores iſti ad ingenii ſui, qualecunque demum fuerit, oſtentationem potius quam populi utilitatem ſua omnia referebant, de magiſtri ſui quam de Apoſtoli mente ſoliti diligentius quærere & vehementius diſputare. Quis non interim de Chriſtianorum hominum conditione miſera querelam attulerit juſtiſſimam, cum viderit ſacræ paginæ ſtudia omnino negligi, & ſimplicitatem Evangelicam pravo hoc diſputandi artificio corrumpi, & dogmata demum theologiæ

fundamentalia illorum commentationibus ita detorqueri & immutari, ut plane ἑτερον ευαγγελιον invexiſſe *viderentur?*--Religionis certe ſyſtema quod illorum ſcripta exhibent recte dixerit non tam *Chriſtianum*, quam *Scholaſticum*.

En, Pontificii, veram gentis veſtræ originem! non ab Apoſtolorum autoritate veneranda, non à primævorum patrum ſimplicitate, ſed ab iſtis patribus recentioribus *ſcholaſticis*, ſed à Dialecticis iſtis veteratoribus petendam. E ſcholis, ex iſta fraudum omnium officina in Eccleſiam tot nova dogmatum incredibilium monſtra prodierunt: hinc ſuperſtitionum in genere diverſo operoſa farrago invecta, & ea demum Corruptelarum immanitas, ut Eccleſia *Romana*, cum ſtructuras totidem abnormes ωδε θεμελιον τον κειμενον, ὁς εστιν Ιησους Χριστος, in excelſum eduxerit, magnitudine laboret ſua, & propediem ruinas minitetur.

Hæc recolens præterita (arrogantiæ & temeritatis *Romanæ* documenta plane ſingularia) & in futurum ſimul proſpiciens quorſum tendat illa hominum animis inſita ambitio, illa nova quædam excogitandi placens gloriola, & religionis Chriſtianæ fundamento jam olim poſito aliquid inſuper de ſuo aſtruendi cupiditas; hæc, inquam, recolens quis non videt, quam opportuna imo etiam quam neceſſaria fuerit illa, quam laudamus, hic ab Apoſtolo cautio interjecta, ἑκαστος δε βλεπετω πως εποικοδομει.

Hæc habui quæ dicerem

1 De fundamento hoc *Paulino* — *quale* illud ſit, & *quouſque* pateat:

2 De

2 De *ſuperſtructura*, ſive de diverſis Theologiæ dogmatibus quæ fundamento huic aſtruantur:
3 De cautelæ, quam hâc in parte adhibendam cenſet Apoſtolus, ratione.
4 Supereſt poſtremo dictorum ad uſus Theologicos applicatio deducenda.

Ecquid vero nobis, Fratres reverendi, de hac re graviſſima cogitantibus recurrit prius potiuſve, quam id ipſum, quod in *Pauli* præceptis & exemplo continetur, documentum? quo nihil ſane ad officiorum deſignationem plenius, nihil ad virtutum incitamenta efficacius? hoc potiſſimum intuens Evangeliſta Chriſtianus intelligat in *quo* ſibi ſit elaborandum, & *quomodo*; & quid demum ὁ σοφος αρχιτεκτων præſtare debeat.

Jam vero qualis illa eſt Architecti, quæ nobis imitanda proponitur, ſolertia? non difficilis ſane illa & operoſa, ſed facile parabilis, ſimplex, & aperta, &, quæ exigit non tam ingenii acumen & celeritatem, quam artificis fidem atque diligentiam. Hanc à ſe fuiſſe non fruſtra præſtitam *Paulus* teſtatur; verum ita, ut *Corinthiorum* ſuorum ſpem fefelliſſe videretur. Expectarunt forſan illi eximium quoddam artis Architectonicæ monumentum: ædificii genus novum quoddam & ſingulare, columnas ſaltem & capitula vere *Corinthiaca*, ſpeciemque demum ornamentorum novam omni artificio elaboratam: at Ille nihil tale quidquam moliri, ſed in fundamento recte ponendo curam omnem impendere, — ædificii ichnographiam deſcribere — ad uſum, non ornatum, ad ſtabilitatem, non ſplendorem omnia

referre — artis demum humanæ, quæ in hoc opere adhiberi poterant, inſtrumenta negligere & contemnere — hæ illi erant artes, hæc ſolertiæ Architectonicæ laus ſingularis. Veritas nempe Chriſtiana ſua ſe dignitate commendat & tuetur, nec aliunde petita deſiderat ulla vel ſubſidia vel ornamenta: privati cujuſlibet ingenii luſum vel oſtentationem ſimplicitas Evangelica non recipit patiturve: eloquentiæ commendatio Dei verbo nunquam deerit: nec philoſophiæ humanæ locus erit ullus, ubi ſapientiæ divinæ demonſtratio exhibetur: ὁτι το μωρον τȣ Θεȣ σοφωτερον των ανθρωπων ἐστι, και το ασθενες τȣ Θεȣ ἰσχυροτερον των ανθρωπων ἐστι.

Jam vero quam periculoſum ſit à recti norma diſcedere, ipſi rerum exitus ſatis docent. Non ibi ſubſiſtunt exempla, ubi cæperunt; ſed latius evagandi viam ſibi faciunt: error errorem uſque parit, & progrediendo vires acquirit; & quo longior à tramite præſcripto fuerit deflexio, eo difficilior regreſſio. Hujus rei, cætera ſi deeſſent, documenta ſatis manifeſta præbent in Eccleſia hi ipſi novatores Architecti, quos, cum extra fundamenti hujuſce *Paulini* ichnographiam aliquid de ſuo auſi fuerint aſtruere, toties in ſchiſmata imo aliquando & hæreſes fædiſſimas incidiſſe vidimus.

Quin redite mecum in prima Eccleſiæ naſcentis tempora, & ab ætate Apoſtolica ad Concilium uſque *Tridentinum* progreſſi, ſchiſmatum, hæreſium, &, quotquot uſquam extiterint Chriſtiano nomine indigna, malorum omnium cauſam inveſtigate: quam vero aliam reperietis quam hanc ipſam, quam ſibi adverſantem *Paulus* experiebatur,

periebatur, hominum in Eccleſia rebus novis ſtudentium pravam ambitionem atque arrogantiam? ſcilicet extiterunt uſque alii atque alii Doctores, qui, ultra quod ſacræ ſcripturæ docebant, præclarius quiddam ſapere ſe confiſi, dogmata protulerunt nova; & quidem ea, quæ non minus à ſe invicem, quam à veritate Evangelica, diſcrepabant. Miremini forſan cur futilia hæc & inepta tanto cum ardore animi & æmulatione tueantur venditentque; nempe ideo, ut ex ipſa contentionis vehementia iis accedat aliqua dignitatis ſpecies: ideo tam acriter defendunt, non quia Evangelica, ſed quia *nova* & *ſua:* neque ſane tam Chriſti miniſtri & Apoſtolorum aſſeclæ, quam novi alicujus ſyſtematis autores, atque hujus vel illius ſectæ principes audire volunt.

Incredibile eſt dictu, quam animis hominum furtim ſe inſinuet hæc gloriolæ cupiditas, & à recto in devium tranſverſos abripiat! nempe à vulgo ſecerni — prætereuntium digito monſtrari — & audire Doctor ille *ſubtilis*, — *irrefragabilis*, — *Angelicus*, — hoc illud eſt quod vitale putant, quod ambitioſiſſime affectant. — Inter Eccleſiaſticos eminere, — & occupare πρωτοκαθεδριας εν ταις συναγωγαις και καλεισθαι ὑπο των ανθρωπων Rabbi Rabbi — hoc illud eſt, — ἡ των Φαρισαιων ζυμη illa morum corruptela univerſalis; etenim μικρα ζυμη ὁλον το Φυραμα ζυμοι· haud temere judicabitis à me Eccleſiæ *Romanæ* clerum præ cæteris hac imagine deſignari: & profecto quicquid eſt in moribus *Phariſaicum* id omne κατ' ἐξοχην illis jure tribuimus. Nempe Illi ſimiliter ficta pietatis ſpecie & præclari alicujus nominis autoritate

ritate ſe tuentur, plebiſque deceptæ affectibus & judiciis dominantur. At vero deſinant interim Eccleſiæ *Anglicanæ* varia diſſenſionum & ſectarum genera in opprobrium objicere, iidem illi, qui ultro & quidem ambitioſe in ſectas diſcedunt innumerabiles, hujus aut illius magiſtri in verba protinus jurare addicti. Videte enim Ordinum diverſorum atque ſocietatum inter ſe diſſidentium κακοζηλιαν æmulationem atque invidiam: tam vehemens agitatur partium ſuarum ſtudium & propugnatio, adverſarum tam maligna oppugnatio, ut hi homines non tam *Chriſto* quam *Dominico*, *Franciſco* aut *Benedicto* nomen dediſſe videantur; atque adeo *Dominicani*, *Franciſcani*, *Benedictini* appellari gaudent, & quidvis potius quam Chriſtiani. Profecto ſuæ quiſque Hetæriæ hiſtoriam, regulas & inſtituta accuratius explorata habet & cognita, quam Evangelii & Eccleſiæ Chriſtianæ: imo & potius habet ſectæ ſuæ famam tueri & amplificare, quam fidem Chriſtianam docere & propagare, cum ex eo pietatis laudem multo uberiorem fructumque ſit percepturus. At vero Chriſtus ambitionem hanc *Phariſaicam*, diſcipulis ſuis plane indignam, caſtigat ſic admonens, ὑμεις δε μη κληθητε Ραββι Ραββι· εις γαρ εστιν ὑμων καθηγητης ὁ Χριστος· παντες δε ὑμεις αδελφοι εστε· eodem ſpectat & illa *Pauli* adverſus *Corinthios* expoſtulatio, ὁταν γαρ λεγη τις εγω ειμι Παυλου, εγω δε Απολλω, ουχι σαρκικοι εστε; hæc ipſa partium ſtudia atque diſſidia arguunt nondum eſſe vos re ipſa Chriſtianos. Jam vero ſi Apoſtolorum nomine ad ſectæ alicujus principatum occupandum abuti non liceat, certe multo minus

aliorum

aliorum quorumcunque; & eorum præſertim, quorum nullum plane erat in Eccleſia nomen vel autoritas.

Ex dictis intelligi poteſt quid effecerit, & quid malorum Eccleſiæ minitetur illa Theologorum ut ita dicam Empiricorum ambitio & protervia. Infinitum pene foret opinionum monſtra tam diverſa recenſere; totidem profecto pervicaciæ vel imbecillitatis humanæ monumenta! Satius erit eadem nobis velut documenta totidem adhibere εις νουθεσιαν ἡμων, εις το μη ειναι ἡμας επιθυμητας κακων, καθως κ'ακεινοι επιθυμησαν· ut nempe haud fruſtra admoniti fundamento jam poſito conſtanter inſiſtamus, nec ultra pro libidine aut inanis gloriolæ ſtudio novi quidquam moliamur.

Quoniam vero in hanc materiem incidimus, nefas ſane foret iſtud hominum genus incaſtigatum præterire, quos à Chriſto præ cæteris quibuſcunque damnatos fuiſſe comperimus: & eo præſertim nomine, quod legi Moſaicæ atque Prophetis, quod fundamento illi, quod Deus ipſe poſuerat, immane quantum de ſuo aſtruxerint: illos, inquam, traditionum humanarum primævos fabricatores, *Phariſæos*; qui quidem ideo à me libentius commemorantur, quia in horum hominum hiſtoria Pontificiorum πολιτεια, conſilia, mores & inſtituta ὡς εν τυπῳ apte ſatis deſcripta exhibentur: & illa quidem ad duo capita præcipua, quæ cenſura Chriſti ſæpius notavit, revocanda: ſcilicet in moribus ὑποκρισιν & ſimulationem, in cultu divino εθελοθρησκειαν & ſuperſtitionem. In hoc certe utrique conſentire vide-

videbantur, nempe ut ingenii ſui figmentis, ſive majorum traditionibus, plus gratiæ atque autoritatis tribuerent, quam legibus divinis. Utrique in religionis ſuæ ſyſtemate concinnando ſtructuræ genus quoddam novum affectabant, ſed illud plane incongruum & à re ſubjecta alienum: in *conſtructionis modo* ſimplicitatem præſcriptam negligebant, ſuo potius arbitrio & faſtidiis, quam judicio divino obſecuti: neque minus in *materiæ delectu* peccabant: materiem certe aſtruxiſſe videntur neque firmam ſatis neque pretioſam: ξυλον, χορτον, καλαμιν, materiem, nequid gravius dicam, non inutilem modo & ineptam, ſed etiam pravam atque damnoſam. De utriſque inter ſe collatis examen accuratius qui inſtituerit, miram profecto omni in parte inſtitutionum ſimilitudinem & analogiam imo etiam & criminum cognationem agnoſcet; & quidem jure crediderit, quæ à Chriſto de *Phariſæis* paſſim dicta viderit, ea pariter ad *Pontificiorum* cauſam *pertinere*, & ad eoſdem quoque cenſurarum, quæ denuntiantur, rationem pertinere. Ουαι ὑμιν, γραμματεις, και φαρισαιοι! fruſtra vobis, hypocritæ, pietatis laudem arrogatis, qui præ traditionum humanarum ſtudio Dei ipſius mandata contemnere non veremini. Chriſto ſic teſtante: ματην δε με σεβονται διδασκοντες διδασκαλιας ενταλματα ανθρωπων. Quiſquis adeo religionem puram atque genuinam tueri velit, id ipſum, quod diſcipulos ſuos admonens Chriſtus præcepit, ſibi dictum putet; προσεχειν ἑαυτῳ απο ζυμης των φαρισαιων, ητις εστιν ὑποκρισις.

Interim

Interim caveat Architectus noſter Chriſtianus nequid in ſe admittat, quod in moribus alienis non fruſtra reprehenderit. Βλεπετω πως εποικοδομει adeoque illud imprimis videat, quod & cogitanti ultro res ipſa ſuggerit, videat *quale* illud ſit fundamentum cui aliquid de ſuo aſtrui velit: θεμελιον τον κειμενον, ὁς εστιν Ιησους Χριστος. En illo ipſo in nomine quod eſt documentorum inſtar omnium! hoc intuens nihil prorſus autore Chriſto indignum aſtruere audebit, nec puritatem Evangelicam materiæ extrinſecus inductæ ſordibus contaminare. Nihil aut de alieno aut de ſuo, tanquam à *Chriſto* præceptum, obtrudere ſuſtinebit. Quid autem? *Dei* Legatus ut de *ſuo* quidquam affingat, & pro divinis dogmata ingerat ſua? — at hoc eſt læſæ majeſtatis crimen. — An vero Evangelii doctrinam ſimplicem & genuinam Interpres & Præco diſſimulat, vel detortam hypotheſi cuidam novæ inſervire jubet? — at hoc eſt improbitatis & perfidiæ: — an vero denique nomen memorabile quærit famamque ſectæ alicujus Fundator ſive Princeps? — at hoc eſt pravæ ambitionis atque arrogantiæ. Quid ergo reſtat? nempe ut, quod muneris publici ratio exigit, id præſtet ſedulo; ut, quicquid à Deo revelatum ſacræ ſcripturæ exhibent, id omne fideliter annunciet, neque ſimulans quidquam neque diſſimulans, voluntatis divinæ miniſter, non famæ non libidini ſerviens ſuæ.

Poſtremo, ne non Architectus noſter de dogmatum vere Chriſtianorum ſtructura ſatis ſibi caveat, illud inſuper intelligat non omnino aliud fundamentum poni poſſe παρα τον κειμενον; nec

ſalutis obtinendæ conditiones alias proponi, quam quas in Evangelio propoſitas viderit. Quid enim? Deus ut ſibi contradicat? non profecto iſthoc patitur immutabilitas divina: μη γενοιτο! γινεσθω Θεος αληθης, πας δε ανθρωπος ψευστης. Sciat adeo ſyſtema hoc Evangelicum της πιστεως της απαξ παραδοθεισης τοις αγιοις mutari non poſſe. Quamobrem nihil dogmatum novorum ſtruere, nihil, tanquam ad ſalutem neceſſarium, præcipere audeat, quod Deus non præceperit. Quid enim aliud hoc eſt quam θεμελιον αλλον θεναι?

Quin mecum recolat quid, ad *Galatas* hac ipſa de re ſcribens, *Paulus* ſtatuerit. Cum enim è *Phariſæorum* gente Pſeudapoſtolus neſcio quis, inter *Galatas* verſatus, circumciſionis jam abrogatæ rituumque Moſaicorum neceſſitatem aſtrueret, quid *Paulus* contra? ille hanc temeritatem vel impudentiam hominis ita oppugnat, & caſtigat, ut Illius, qui adeo non rem aliquam *adiaphoram* imperaret, ut plane ετερον ευαγγελιον ipſis annuntiare, atque το χριστε ευαγγελιον μεταστρεψαι videretur. Sic enim cum vehementia quadam indignans obteſtatur: αλλ', εαν και ημεις η αγγελος εξ ουρανε ευαγγελιζηται υμιν, παρ' ο ευηγγελισαμεθα υμιν, αναθεμα εστω· ως προειρηκαμεν και αρτι παλιν λεγω, ει τις υμας ευαγγελιζεται παρ' ο παρελαβετε, αναθεμα εστω. Hæc recolens quis non ſacra quadam formidine imbutus Evangelium reverebitur, ut Dei ipſius vocem? quanta eſt illius dignitas & το αξιωμα, cui tanta non autoritas modo, ſed etiam immutabilitas tribuitur? quanta in eo perfectionis laus, cui nihil addi poſſit vel imminui? —

ſi

ſi vel Apoſtolus vel Angelus quidquam immutare auſit, ἀνάθεμα ἔστω. —

Audite hæc, *Pontificii*; perhorreſcite, Patres *Tridentini*, qui omnipotentiam quandam vobis arrogaſtis, qualem neque Apoſtolorum neque Angelorum quiſquam affectare auſit: ad vos, ad vos, inquam, cenſuræ ratio communis ſpectat. Quid enim? non alia profecto veſtra eſt, quam illorum, quos *Paulus* hic tam acriter oppugnat, Pſeudapoſtolorum cauſa. Quid enim illi? non aperte fundamenta poſita ſubruere & evertere, non fidem in Jeſu Chriſto miraculis confirmatam labefactare aut deſerere velle — non Evangelii dogmatis palam refragari & adverſari; quid ergo? nova quædam invehere & aſtruere — per ſe, & ultra quod erat ſcriptum aut præceptum ſapere, ritus atque dogmata, quæ Chriſtus neutiquam præſcripſerat, tanquam ad ſalutem neceſſaria fratribus Chriſtianis imperare non verebantur. Quid interim vos? id profecto ipſum, quod in Pſeudapoſtolis hiſce damnatum videtis. Quin rem ipſam mecum perpendite. Scilicet ὀρθοδοξίας priſtinæ famam, fidemque Chriſtianam τὴν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων puram adhuc & intaminatam conſervare videmini, atque adeo tria illa, quæ κατ' ἐξοχὴν ſymbola vocantur, uſu publico recepta comprobatis — verum interea quid hoc rei eſt? quid duodecim inſuper articulos quaſi furtim ſubtexitis, novos certe illos & in Eccleſia Chriſtiana inauditos, ambiguos utplurimum & fallaces, quoſdam facie aperta mendaces, omnes in hominum ſcholaſticorum officinis natos, ab Apoſtolicis vero præmiſſis prorſus alienos & ab-

horrentes. Cur cœlum terræ, & divinis mere humana commiſcetis nullo autoritatum habito diſcrimine.

Libros porro ſacræ ſcripturæ Canonicos jam olim receptos ut fidei morumque regulam admittitis. Quid ultra deſideratis? cur autem libros *Apocryphos* in hoc γραφης θεοπνευστ consortium obtruditis? &, ut ita dicam, præter fas æquumque hoſce ξενυς και μετοικυς quaſi civitate donatos pari cum civibus conſcriptis jure & autoritate in republica verſari jubetis? cur ſacræ ſcripturæ perfectionem verbis aſtruere videmini, at re ipſa plane tollitis? quid enim aliud agitis qui traditiones humanas non in ſubſidium modo, ſed etiam in imperii ſocietatem quandam vocatis? traditiones, non vere Apoſtolicas, ſed indefinite eccleſiaſticas, ſpuriæ & incertæ originis, ſed ingenii ſcholaſtici figmenta vel monachorum delirantium ſomnia, cur inquam eas, perinde ac ſacras ſcripturas, pari pietatis affectu ſuſcipitis & veneramini? και ὑμιν, Γραμματεις και Φαριται, ὁτι ηκυρωτατε τὴν εντολὴν τυ Θευ Διὰ τὴν παράδοσιν ὑμων! quod vero eſt longe atrociſſimum, cur hæc omnia à Chriſto certe neutiquam inſtituta aut præcepta, tanquam fundamentalia & ad ſalutem neceſſaria, omnino omnibus obſervanda præcipitis? cur porro in autoritatis eccleſiaſticæ opprobrium diſſentientes quoſcunque anathemate veſtro, quaſi fulmine divino, ferire non dubitatis? Jam vero videte quid hoc ſit aliud, quam illud ipſum arrogantiæ & impietatis crimen, cui *Paulus* hoc anathema ſuum denuntiatum inflixit. Pſeudapoſtoli ſcilicet iſti, quibuſcum illi res erat, Eccleſiæ

pacem

pacem perturbarunt, λεγοντες ει μη περιτεμνησθε τῳ εθει τῦ Μωσεως ῦ δυνασθε σωθηναι· similiter & vos: "ſiquis conſuetudines, ritus, inſtituta, dogmata "ab Eccleſia *Romana*, præcipue à ſacra Synodo "*Tridentina* tradita definita declarata non indu- "bitanter recipit & profitetur, anathema ſit." Videte, inquam, hæc audacia veſtra quorſum evadat: cavete vobis, Pſeudapoſtoli, ſimilium prorſus, quibus & *Galatæ* illi, & criminum & pœnarum cognatione conſtricti, &, quorum facta imitamini, eorum exitus perhorreſcite. Vos traditionum humanarum fabricatores atque vindices, legum vero divinarum contemptores, cavete vobis, *Scribæ* & *Phariſæi*, & anathematis divini non brutum fulmen extimeſcite: cavete demum vobis, in Architectonica hac noſtra officioſi novatores, ne, quod ævi ſui Pſeudoprophetis *Ezekiel* denuntiavit, idem quoque vobis pro merito damnum atque dedecus inferatur, ne ædificii inauſpicato conſtructi in capita veſtra ruinæ aliquando devolvantur.

Poſtremo, quod ad rem noſtram propius ſpectat, liceat vobiſcum pauca quædam expoſtulare. Scilicet fundamentum aliud præter Jeſum Chriſtum omnino nullum agnoſcitis: itane vero? & quidem bona fide? — quid ergo Angelorum — Beatæ Virginis, & Sanctorum merita & interceſſiones in ſubſidium vocatis? cur in precationibus veſtris auditur crebrior ad Beatam Virginem, quam ad Deum ipſum appellatio? quid autem? num in alio quopiam fiduciam ponitis, quam in Jeſu Chriſto, qui eſt & unus & ſolus Mediator & Interceſſor, εἱς μεσιτης Θεῦ και ανθρω-

πϑ ανθρωπος χριϛος ιησους? at vero hoc eſt revera θεμελιον αλλον θειναι παρα τον κειμενον ὁς εϛιν ιησους χριϛος. Profecto hoc ipſum agitis, aut nihil pietas veſtra certe aut inepta prorſus eſt aut impia. Fundamento ſaltem, quod maxime eſt alienum, aſtruitis Architecti arrogantes & imperiti; &, quod verbis prædicare videmini, re ipſa tollitis. At intelligite interim quantum à vobis nullo jure *Sanctorum* meritis tribuitur, tantum de *Chriſti* meritis & dignitate detrahi; in quantum denique à fundamento jam poſito diſceditis, in tantum de ſalute veſtra periclitari.

Pontificiorum cauſa qualis fuerit ſatis eſſe a me commonſtratum opinor: jam vero noſtra qualis ſit, & quid à nobis ſit præſtandum, videte. Imprimis adeo id ipſum videte quod Eccleſiæ *Reformatæ* ratio ipſa ſuggerit, nempe ut, quod à *Pontificiis* improbe factum damnavimus, illud ipſi neque facere neque tolerari velimus. Ergon' Illi fundamento jam poſito materiam non ineptam modo & inutilem, ſed etiam vitioſam, ξυλον, χορτον, καλαμην, auſi fuerint aſtruere, imo etiam hæc incongrua & extra-fundamentalia pro fundamentalibus & ad ſalutem neceſſariis præcipere & imperare? En! quam ſibi quiſque adhibeat, cautionem! ἑκαϛος βλεπετω πως εποικοδομει· & ex eorum erroribus vitiiſque perſpectis ſapientiæ atque virtutum documenta depromat. Ne vero hac in parte nimium audeamus, videte porro quid à Legiſlatoribus Eccleſiaſticis noſtris cautum ſit atque conſtitutum. Sic enim Articulo ſexto definitum legimus "ſacra ſcriptura con-
"tinet omnia quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ita
"ut

« ut quicquid in ea nec legitur nec inde probari « poteſt, non ſit à quopiam exigendum, ut tan- « quam articulus fidei credatur, aut ad ſalutis « neceſſitatem requiri putetur." Quis non jure prædicet Eccleſiæ *Anglicanæ* æquitatem & temperantiam, quæ non, quod *Romana* facit, ſibi imperii prærogativam quandam arrogat, ſed dogmatum omnium examen ad *ſacræ ſcripturæ* autoritatem, non ad tribunal quodvis *humanum*, referri jubet? qualis enim hic adhibetur in fidei articulis conſtituendis ſollicitudo religioſa, in definiendis ſimplicitas, in obſequio exigendo lenitas & moderatio? Autoritatem quidem Eccleſiaſticam libenter agnoſcimus, at certis limitibus circumſcriptam, at legibus divinis ſubſervientem; at eam, quæ nihil novi de ſuo aſtruere, ſed quæ jam conſtituta tueri velit & vindicare. Longe profecto abſumus ab affectatæ dominationis & tyrannidis Eccleſiaſticæ crimine; adeo non καταχυριευοντες της πιστεως ὑμων, ut etiam juſtæ autoritatis eccleſiaſticæ nervos ſuccidi & præſidia labefactari jure queramur. Verum adverſa ex parte periculum imminere video certius graviuſque: vereor enim ne, qua in re difficile eſt modum tenere, in ea homines privati libertate conceſſa abutantur; vereor nequid nimis audeat illa in religione rebus novis ſtudentium licentia, ne forte Doctores quilibet dogmata quælibet pro libidine aſtruant, atque adeo in Eccleſia turbæ quædam atque diſſidia excitentur. Tyrannidis ſane Pontificiæ jugum excuſſimus: eſt profecto hac in parte quod ipſi nobis gratulemur. At vereor ne forte in vitium glorioſa hæc libertas excidat:

cidat: & privilegii invidendi abusus nobis vicissim in opprobrium à Pontificiis objiciatur. Sectarum fere omnium monstra impune grassantur: αναγκη γαρ εστιν ελθειν τα σκανδαλα· cum bona segete succrescunt etiam zizania: αφετε αμφοτερα συναυξανεσθαι εως τ̃ θερισμ̃· neque sane est dissimulandum permulta Protestantium nomine prætenso defendi, nomine Christiano prorsus indigna, privatorum hominum petulantiæ nimium concedi, autoritatis publicæ reverentiam imminui, verborum contortione legum vim eludi, &, ut ita dicam, intolerabilia quædam tolerari. Omnes profecto omnia sibi licere putant, & præclarum quiddam esse à præscripto dissentire, ita ut in causæ ejusdem defensione versantes pro jure quisque suo plane repugnantia statuant. Nullibi gentium quam apud nos in scriptis, perinde ac moribus, plus licentiæ conspici posse reor. Est genus hominum qui in omni re rationis humanæ viribus ita confidunt, ut gratiæ divinæ nihil omnino tribuendum censeant: est itidem aliud hominum genus qui Charismata sua nescio quæ Christiana ita jactitant, ut humanæ quicquid est industriæ virtutumque moralium penitus extinguant. Quidam porro in religione tam fidenter & argute philosophari amant, ut esse se Christianos vix meminerint. Alii contra Christi jugum exhibent ita intolerabile, ut humanitatis prorsus obliti videantur; ut Evangelii non nisi terriculamenta objiciant, atque adeo meticulosos ad desperationem adigant. Quidam religionis mysteria plane nulla in rationis suæ opprobrium admitti patiuntur. Alii contra in re quavis simplici

mysteria

myſteria expiſcantur, in litera quavis argutantur neque *Pauli* ulla magis quam τα δυσνοητα curant & admirantur.

Quod ſi hominum audaciæ acceſſerit inſuper acumen criticum, — tum demum conjecturis atque cenſuris quis modus aut pudor? veritatum argumenta, jam diu probata, illico exoleſcunt, nova quædam & paradoxa procuduntur; novæ porro excogitantur hypotheſes: &, ne non aliquis agitetur ingenii luſus, ſacræ forſan hiſtoriæ hæc vel illa pars in allegoriam tranſit evanida. — Non eſt quod plura commemorem: illud potius optandum reſtat, ut aliqua interim autoritatis divinæ reverentia intercederet quæ ſollicitudinem religioſam incutere, & licentiam evagantem refrænare & moderari & ſaltem intra fundamenti *Paulini* limites continere poſſet; ita ut nihil veritati Evangelicæ minus conſentaneum, aut Chriſto autore quovis modo indignum aſtruatur. Libertatem illam, in quam Chriſtus nos vindicavit, prout Chriſtianos, & quidem reformatos, decet, animoſe aſſerimus & tuemur; ita tamen, ut Beati *Petri* admonitionem de hac ipſa re nobis adhibeamus: ὡς ελευθεροι και μη ὡς επικαλυμμα εχοντες της κακιας τὴν ελευθεριαν, αλλ' ὡς δουλοι Θεȣ· δουλοι Θεȣ! hoc illud eſt, quod verum humilitatis ſenſum animo ingeneret, & ſervitutis honeſtæ conditionem commonſtret, doceatque non ambitioni, non libidini privatæ, ſed Dei imperantis voluntati eſſe obſequendum. Ecquis audit miniſter Dei? ὑπηρετης Χριστȣ και οικονομος μυστηριων τȣ Θεȣ? revereatur tanti nominis το αξιωμα; verum ſimul miniſterii difficultatem perpendat; hoc ta-

men interea meminerit, ὁ δὲ λοιπον ζητειτω εν τοις οικονομοις, ινα πιστος ευρεθη. Scilicet in eo exigitur non tam ingenii vigor & acumen, quam induſtria & integritas, cum dogmata annunciet non ſua, ſed divina.

Ad nos poſtremo, Reverendi Fratres, quotquot εν τη οικοδομη Θεϑ in Eccleſia Chriſti adminiſtranda verſamur, admonitionis Apoſtolicæ deducitur applicatio. Diverſo quidem in genere operas conferimus, συνεργοι τϑ Θεϑ; & pro ſuo quiſque ingenio ſtructuram quandam Theologicam meditamur: ἑκαστος δὲ βλεπετω πως εποικοδομει, nequid, prout jam diximus, extra lineas præſcriptas moliatur, ſed ut materia congrua ſit & homogenea, atque adeo ex omni parte ſuperſtructura fundamento reſpondeat.

Ergone πϑ θεμελιον τον κειμενον non aliud omnino quidquam ponendum reſtat? ex eo intelligi poteſt in qua potiſſimum materia præceptiones atque conciones noſtræ verſari debent: in ea nempe, quæ immediate aut mediate ad humani generis per Jeſum Chriſtum redemptionem refertur. Hæc Doctrina fundamentalis locum certe primum præcipuumque ſibi vendicat, cum nihil ad rem noſtram propius ſpectet, quam id ipſum, in quo ſolo ſalutis æternæ ſpes omnis continetur; adeoque nihil prius potiuſve audientium animis inſtillandum eſſe videtur & inculcandum. At vero hypotheſes in Theologia novas & curioſas excogitare, — diſquiſitiones metaphyſicas ventilare — Philoſophiæ mere moralis, & quæ à fide in Jeſu Chriſto penitus eſt ſejuncta, ſyſtemata ſpecioſa adornare, denique omnia ad

ingenii

ingenii aut eruditionis oſtentationem potius quam ad Eccleſiæ utilitatem & οικοδομην comparare — quid hoc eſſe dicam? aliquid forſan, in quo philoſophi cujuſdam *Græci* aut Oratoris *Romani* laus cernitur, at certe Theologo & Evangeliſta *Chriſtiano* prorſus indignum; à *Pauli* certe præceptis & exemplo abhorrens. Nihil ille tale *Corinthiis* ſuis, utcunque *cupientibus*, indulſit, quod ab Evangelii ſimplicitate alienum eſſe ſenſit, ου καθ' υπεροχην λογου η σοφιας καταγγελλων το μαρτυριον του θεου· ſapientiæ quidem ſtudium profitetur, non humanæ, ſed divinæ; & dogmata præcipit non tam philoſophica, quam mere Chriſtiana,—ſed ea, quæ neſcire malum eſt, quæ ad hominis ſummum bonum pertinent, non vagum illud & umbratile Philoſophorum diſcrepantium diſputationibus vexatum, ſed ad illud verum & genuinum, cum fundamento hoc noſtro conjunctum, & in quo felicitas conſtat æterna & immutabilis.

Sed interim non hæc ita intelligi velim, ut à ſanioris Philoſophiæ & literarum humaniorum, quarum uſus ſentio quam ſit eximius, ſtudiis vos avocare prorſus & dehortari videar; aut nefas eſſe credam, præterquam id quod ſacræ ſcripturæ verbis diſerte exhibetur, quidquam omnino admittere; ſed, ut pro dignitate ſua, ſingula quæque locum proprium atque ordinem ſortiantur. Ζητειτε πρωτον την βασιλειαν του θεου, και την δικαιοσυνην αυτου· ſit hæc quidem curarum prima atque ultima, quippe το εν αναγκαιον· at vero, quæ fini eidem inſerviant, alia atque alia ſubordinantur: atque adeo rationis, artium humanarum

manarum disciplinis excultæ, instrumenta i
Theologiæ sive subsidium sive ornamentum no
temere adducimus: Philosophiam adhibemus re
ligioni non dominantem, sed famulantem.

Quin ponatur *Pauli* fundamentum unicum &
solum illud, *Jesus Christus:* at videte interi
quam late illud pateat: nequis autem nimiu
rigidus & superstitiosus interpres ita illud intelli
gat, ut omnino nihil astrui patiatur; aut piacu
lum esse censeat, si de moribus atque officiis E
vangelicis differentes è morali philosophia iden
tidem argumenta depromere non dubitemu
Quid enim *Paulus* ipse? quam multa huic fun
damento suo επιοικοδομει, tum dogmata fidei, tu
etiam de moribus præcepta? non ille, (quo
sæculo superiore *Puritani*, imo & recentiores no
nulli, qui in religione affectant methodi cujusda
purioris speciem, ambitiose factitant,) non ill
Jesum Christum ita prædicavit, ut Theologi
cujusdam *mysticæ* systema proponere videretu
ut fidem nescio quam solitariam, & omnipo
tentem — justificationem — sanctificationem —
electionem — reprobationem — & hujusmod
δυσνοητα populi auribus ingereret, sed ut fide
morumque rationes conjunctas exhiberet, &
præcepta ad πραξιν και οικοδομην dirigeret, atqu
adeo de re quavis idonea afferret & incitament
& argumenta, hominum sensibus atque judicii
accommodata; exemplo suo ostendens religioni
Christianæ veritatem non autoritate solum, se
etiam argumentis defendi & commendari posse.

Postremo ad id præcipue animum advertamu
quod in votis curisque præcipuum *Paulus* habuit
prior

riore epiſtolæ hujus parte & hoc ipſo capite id gens, ut *Corinthios* ſuos, pro levitate ingenium, ambitione quadam & ſuperba à ſimplicitate Evangelica aberrantes, ad mentem ſaniorem evocaret: ἵνα μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα, καὶ ζῆλος, καὶ ις, καὶ διχοστασίαι, ut Doctorum inter ſe omnis emulatio prava & invidia, populique eorum cauſa diſſenſiones & partium ſtudia penitus extermientur. Videntur quidem *Corinthii* chariſmata, quæ ipſis diverſa genere & quidem extraordinaria Deus indulſerat, ſupra modum jactitaſſe, & eo nomine nimium ſibi arrogaſſe: hanc itaque ipſorum arrogantiam iteratis expoſtulationibus *Paulus* retundit atque caſtigat. Ad vos quoque hæc ſpectant documenta; ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου. Ecquis ingenii aut erudi-tionis fama præ cæteris inclareſcit? ne nimium ſibi placeat; nec, popularem dum quærit admirationem, divina abutatur gratia: ſed quicquid habet facultatum id unice ad Dei gloriam & Eccleſiæ emolumentum conferat. Τί οὖν ἐστι Παῦλος, τί δὲ Ἀπολλως; ἀλλ' ἢ διάκονοι δι' ὧν ἐπιστεύσατε, καὶ ἑκάστῳ ὡς ὁ Κυρίος ἔδωκεν· Dei miniſter, quo glorietur, de ſuo nihil habet: non beneficii merita, ſed officii neceſſitatem agnoſcit. Ὥστε οὔτε ὁ φυτεύων ἐστί τι, οὔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεός· quicquid incrementi acceſſerit id omne non laboribus noſtris, ſed Dei adjuvantis gratiæ debetur. Nihilominus induſtriæ incitamenta non deſunt: pro diverſa meritorum ratione ſingulis diverſa merces tribuetur: ἕκαστος δὲ τὸν ἴδιον μισθὸν λήψεται κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. Videtis adeo admonitionis Apoſtolicæ rationem graviſſimam, quæ quidem ſæpius iterata incul-

inculcatur. Εκαςȣ το εργον φανερον γνησεται· en in utramque partem diſcrimen anceps! una cum periculi ſenſu par cautio & diligentia excitari debet: ἑκαστος δὲ βλεπετω πως εποικοδομει· Dei judicis, veluti tormento ignis admoto, examen acerrimum ſingula explorabit, decernet ἑκαστȣ εργον ὁποιον εστι, το πυρ δοκιμασει· beatus ille quem teſtimonio hoc ſuo judex Deus comprobaverit, ευ δȣλε αγαθε και πιστε, εισελθε εις τὴν χαριν τȣ Κυριȣ σȣ! Interim judicii hujus præſenſio ita animis noſtris inſideat & affectibus dominetur, ut ad Deum autorem opera & conſilia noſtra omnia referamus, neque ſupra quod eſt ſcriptum ſapere, aut ᾠδὴ θεμελιον τον κειμενον novi quidquam aſtruere audeamus, in religione demum nihil niſi religioſe attentemus. Ut denique unuſquiſque noſtrum officio paſtorali, quod ſentio quam latiſſime pateat, uberiore cum laude ſua ſuorumque fructu perfungatur, quod *Timotheo Paulus* id ſibi quoque non fruſtra præceptum adhibeat: επεχε σεαυτῳ και τῃ διδασκαλιᾳ και επιμενε αυτοις· τȣτο γαρ ποιων και σεαυτον σωσεις και τȣς ακȣοντας σȣ.

F I N I S.

De Praxeos Theologicæ Abusibus.

CONCIO

AD

ACADEMIAM *OXONIENSEM*

HABITA IN

TEMPLO B. *MARIÆ*,

JUN. 3. 1760.

A JOHANNE BURTON S.T.P.
COLL. ETON. Socio,
Olim C.C.C. OXON. Soc.

OXONIÆ,

E THEATRO SHELDONIANO.

Prostat apud J. FLETCHER, Bibliop. OXON. & J. FLETCHER, in Cœmeterio *Paulino*, LOND.

M DCC LXI.

Imprimatur,

JO. BROWNE,

Vice-Can. OXON.

Aug. 21. 1761.

1 Cor. III. 12, 13, 14, 15.

Ει δε τις εποικοδομει επι τον θεμελιον τουτον, χρυσον, αργυρον, λιθους τιμιους, ξυλα, χορτον, καλαμην·
Εκαστου το εργον φανερον γενησεται· η γαρ ημερα δηλωσει ὁ, τι εν πυρι αποκαλυπτεται. κ᾽ εκαστου το εργον οποιον εστι, το πυρ δοκιμασει.
Ει τινος το εργον μενει ὁ επωκοδομησε, μισθον ληψεται·
Ει τινος το εργον κατακαησεται, ζημιωθησεται· αυτος δε σωθησεται, ουτως δε ως δια πυρος.

Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam;
Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit id quod in igne revelabitur: & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.
Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet,
Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.

PAULI Evangelium prædicantis exemplum eo nos animo intueri oportet, ut exinde nonnihil ad uſus noſtros transferendum exiſtimemus. En locutionis allegoricæ formam ab eo ſæpius uſitatam! ſcili-

cet ab ædificii conſtructione ad docendi artificium apta traducitur analogia: atque adeo hac in parte Architecturam ſuam Paulus commendare non dubitat: ως σοφος αρχιτεκτων θεμελιον τεθεικα: id ipſum, in quo prima Architecti laus continetur, non fruſtra ſibi arrogat, nempe juſtam fundamenti collocationem. Ille auctor ædificii hujuſce ſpiritualis lineamenta, ιχνογραφιαν, & conſtructionis modum deſcribit. Quale vero illud ſit fundamentum, & quam late pateat, abunde explicat compendiaria iſthæc & emphatica deſignatio adjecta, ὁς εστιν Ιησους Χριστος: ſedulo cavet, ne pro fundamento ponatur quidquam, niſi quod ſit univerſaliter *neceſſarium*—niſi id ipſum, in quo generis humani *Salus* conſtat: θεμελιον αλλον ουδεις δυναται θειναι, παρα τον κειμενον.

Et quidem in *Hoc* Chriſtiani ferè omnes conſentiunt: de *fundamento* ipſo nulla in genere oritur dubitatio: quæritur potius de ſuperſtructura; qualis illa eſſe debeat, ſive quale dogmatum Chriſtianorum ſyſtema, fundamento poſito conſentaneum, aſtrui debeat. Hac quidem in parte ſtructuræ theologicæ artifices permultum judicio ſuo permitti arbitrantur; atque adeo pro libidine diverſa alii alia ſtatuunt; atque ita demum de ſuo quidlibet aſtruere gaudent, ut aliquando dogmata neutiquam Chriſtiana pro Chriſtianis obtrudi viderimus. In qua ergo re

erroris

erroris periculum objicitur, in ea haud fruſtra Paulus hanc cautelam adhibet: ἑκαστος βλεπετω πως εποικοδομει. Intelligat artifex quivis Theologicus duplici curâ ſe occupari, tum ut materiæ ſanioris & aptioris habeatur delectus, tum deinde ut conſtructionis modus fundamenti ichnographiæ reſpondeat. Jam vero materiæ ſpecies duplex deſcribitur; imprimis pretioſior illa, dignitate, ſplendore, uſuque ipſo præſtantior, ad ædificii ſtabilitatem ſimul ac ornamentum accommodata; qualis eſt χρυσος, αργυρον, λιθοι τιμιοι· deinde illa vilior & fragilior, quæ adeo nihil ad ſtructuræ firmitatem aut pulchritudinem confert, ut potius detrimentum pariat & ruinam; qualis eſt χορτος, ξυλα, καλαμη. Et hæc & illa ita eſt comparata, ut aliquando ad examen revocetur ad Dei judicis κριτηριον ακριβεςατον: inſtituetur profecto opificii cujuſque exploratio ſeverа; εκαςε το εργον φανερον γενησεται· quippe ignis divinitus admoti tormentum id, quod res eſt, fateri coget, involucra recludet, verumque à falſo diſcriminabit: εκαςε το εργον οποιον εςι το πυρ δοκιμασει. Aderit aliquando judicii dies præſtituta, quæ, per ignem hunc exploratorium, ſingulorum, ſive virtutes, ſive vitia, prodet revelata: ἡ γαρ ἡμερα δηλωσει ὁ τι εν πυρι αποκαλυπτεται· quicquid ignis illius adhibiti indicio vel teſtimonio compertum fuerit & probatum, id omne

dies

dies illa manifeſtabit ſimplex & apertum, ficta ſpecie quacunque & coloribus aſcititiis nudatum. Tum demum Filia temporis, Veritas emerget, &, ut quod res eſt dicam, opinionum humanarum commenta Illa dies delebit, dogmata vero Evangelica, Deique judicia confirmabit.

Quin videte porro pro materiæ diverſitate rei exitus diverſos! Ecquis huic fundamento congrua quædam & cognata, χρυσον, αργυρον, λιθους τιμιους εποικοδομει? eſt ſanè quod opificio gaudeat ſuo, laborum fructus uberes rite percepturus, μισθον ληψεται· opificum cæterorum ruinas inter & excidia, illius το εργον μενει, conſtantiæ & integritatis monumentum; tanquam è fornace, virtutum gratia, pretiumque expreſſius, prodibit; attritione puritas illuſtrabitur, & conflictatione firmitas ipſa confirmabitur. Ecquis vero ſtructuram molitur incongruam, & à fundamento abhorrentem, ξυλα, χορτον, καλαμην εποικοδομει! infelix ille, ne quid gravius dicam, operam ſe perdidiſſe ſentiet, plorabit irritos labores, damnumque cum dedecore conjunctum; το εργον καταλαησεται· eorum, quæ putabat ſumma, jacturam faciet, ζημιωθησεται· imo vero ſatis habebit, quod ipſe, utcunque re amiſſa, ſuperſtes ægre & incolumis ex incendio evaſerit, αυτος δε σωθησεται, ὑτως δε, ὡς διὰ πυρος.

Hæc

Hæc breviter in tranſitu notata ſunto — Verum enimvero rem ipſam penitius inſpiciens diſquiſitiones alias ex aliis complures ſuboriri poſſe video: Quæri enim poteſt,

I. *Imprimis*, Quid Apoſtolus diſerte velit intelligi per χρυσον, αργυρον, λιθους τιμιους, — quid contra per ξυλα, χορτον, καλαμην.

II. *Secundo*, Quid per το — η ημερα δηλωσει — quænam præcipue *Dies illa*, — qualis hæc *manifeſtatio?*

III. *Tertiò*, Quid το — εν πυρι αποκαλυπτεται? quinam ille *Ignis?* & qualis hæc *exploratio?* — deinde qualis illa opificum diverſorum *diſpar cenſura?* quid! quod alterius το εργον μενει, alterius vero κατακαησεται alter μισθον ληψεται· — qualis illa *merces* & *præmium?* — alter ζημιωθησεται· — *quantum* illud *quale damnum?* — poſtremo, quid το σωθησεται, ουτως δε, ως δια πυρος· — quo *modo?* & quali cum *periculo?*

IV. Hanc Sententiarum per membra ſingula explicationem præmiſſam claudet doctrinæ ad ſpeciales uſus theologicos *applicatio?*

Priorem quidem diſquiſitionis inſtituendæ partem ſciens & libens prætermitto, cum illam fuſius explicatam

explicatam dederit noſtra illa, quæ in lucem publicam jamdiu prodiit, *De Fundamentalibus*, atque juſta οικιας πνευματικης conſtructione, *Diſſertatio:* ad deteriora jam devenio, ξυλα, χορτον, καλαμην — illa ædificii detrimenta & opificum opprobria; atque adeo ad praxeωs theologicæ abuſus notandos accingor.

Quorum quidem cauſas ſi quærat quiſpiam, de re ipſa, & de ingenio hominum, hæc pauca mecum recognoſcat. Eſt ſane fundamentum jam poſitum, cujus extra lineas exſpatiari nefas: θεμελιον αλλον ουδεις δυναται θειναι, παρα τον κειμενον· eſto ſane: At certe nonnihil inſuper aſtruere, & libet, & licet: At è principiis jam conſtitutis concluſiones alias atque alias fas eſt deducere. Quis non videt hac in parte ingenii luſibus, & ambitioni nimium quantum permitti? Profectò in Architectura Theologica, perinde ac civili, artificum fere omnium animis inſidet neſcio quæ ædificandi, ſive nova moliendi cupiditas ambitioſa; & arte quiſque ſua gloriatur, ως σοφος Αρχιτεκτων; cum in hoc ipſo nomine dignitas quædam inſit, & ſapientiæ alicujus præſtantioris commendatio. Qua vero ſpe, quo conſilio hac in parte aliquid inceptant novi? nempe populo ut placeant quas faciant fabulas? Leves animos levi momento huc illuc impellit laudis amor, & inanis gloriolæ captatio.

Populus

Populus uſque novitatis amans rebus ſtudet novis, in ſtructura etiam theologica nova quædam deſiderat inſtrumenta, novo rerum colore & figura & ſpecioſo gaudet ornatu. Doctores viciſſim pravis audientium affectibus lenocinantur; quæ placeant potius quam proſint, aurium adhibent oblectamenta: His artibus populares captant plauſus; atque ita demum in dogmatum Chriſtianorum explicatione verſantur, ut interim ingenii ſui figmenta admiſceant; nec quidquam magis curent quam novitatis gratiam, aut inventionis gloriam; cum hac in parte, quantum quantum eſt laudis, id omne ducant eſſe ſuum.

Jam vero, cum & populi & Doctorum ingenia ita ſint comparata, deſinamus mirari, ſi quidem, pro communi levitate, ab opificibus theologicis in Syſtematis ſui ſtructura extemporanea materies facile parabilis, utcunque minus apta & ſolida, adhibeatur, ει τις ξυλα, χορτον, καλαμην εποικοδομει. Quid analogiæ hujuſce ratio ſubmonet opinor à vobis jam ſatis intelligi, nempe religionis Chriſtianæ *Fundamentalibus* aliquando doctrinas aſtrui minus ſanas, ſolidaſque; non illas ſimplices & evangelicas, puritatis intaminatæ, ſtabilitatis æternæ & immutabilis; ſed potius ingenii humani commenta; ſpecioſa forſan illa & jucunda, ſed levia, futilia, & caduca; ad inanem gratiam vel eruditionis oſtentationem,

non ad οἰκοδομην vel utilitatem quovis modo comparata; ſed ea, quæ aut protinus fragilitate collabuntur ſuâ, aut Dei judicis examen, velut ſtipulæ ignis admoti contactum, reformidant. Iſtud ſtructuræ genus jure quidem damnamus; at non ita, ut illi pravitatis Hæreticæ crimen adhæreſcere putemus, aut dogma ullum veritati Chriſtianæ repugnans ſtatui. Nihil tale infimulat Pauli cenſura; hoc certe, quicquid eſt, utcunque incongruum, fundamento tamen recte poſito aſtruitur; neque ſane orthodoxiæ ipſorum profeſſio ullatenus adverſatur. At videte interim hominum levitatem, arrogantiam, & proterviam plane intolerabilem, qui in hoc materiæ delectu ſacra profanis non ſecernunt, divinis humana commiſcere non verentur, ſuaſque hypotheſes commentitias qualeſcunque in dogmatum evangelicorum conſortium obtrudunt.

Quin paulisper Corinthiorum cauſam mecum recolite, à re noſtra certe non alienam. Græca gens novitatis & eruditionis in omni genere ſtudioſa, fidei Chriſtianæ Pauli miniſterio annunciatæ ſe addixit, & quidem cum magna virtutum laude εν παντι λογῳ, και παση γνωσει — ὡστε μη ὑστερεισθαι εν μηδενι χαρισματι· Nempe vario Chariſmatum & miraculorum teſtimonio veritatem evangelicam confirmavit Deus: ſed, quæ jam olim animis inſederant, eadem etiamnum elo-

quentiæ

quentiæ & philoſophiæ ſtudia dominabantur: Scilicet οἱ Ἕλληνες σοφιαν ζητουσι· Qualem vero illam? non cœleſtem illam & divinitus revelatam, την θεου σοφιαν εν μυστηριῳ, ſed mere humanam την σοφιαν αιωνος τουτου; aliquid nempe de ſuo, —— aliquid hominum ingenio excogitatum, & induſtria elaboratum. Hoc, quale quale erat, ſyſtemati Chriſtiano aſtruere cupiebant, hunc, tanquam inculto corpori, ornatum aſſuere, ut aliqua ſaltem elegantiæ extrinſecus inductæ commendatio accederet. Aures plus æquo delicatæ & faſtidioſæ ſimplicitatem evangelicam reſpuebant; aliquod ſalis Attici condimentum deſiderabant; in orationibus rhetoricæ floſculos, in diſputationibus argutias, & ſubtilitates philoſophicas. Quid Paulus contra? Ille ornamenta hæc aſcititia ſedulo rejicere & contemnere, utpote homine Chriſtiano & Theologo prorſus indigna — materiem plane vilem, fragilemque & vitioſam, & à fundamento quod poſuerat abhorrentem — ξυλα, χορτον, καλαμην· Longe aliam ille & perorandi & argumentandi viam inſtituit; και ὁ λογος και το κηρυγμα μου ουκ εν πειθοις ανθρωπινης σοφιας λογοις, αλλ' εν αποδειξει πνευματος και δυναμεως, ἱνα ἡ πιστις υμων μη ᾖ εν σοφιᾳ ανθρωπων, αλλ' εν δυναμει θεου. — Nempe religio illi erat omnipotentiæ divinæ diffidere, ad gratiam popularem confugere, & veritatis evangelicæ robur

ſubſidiis aliunde petitis debilitare, vel ſimplicitatem decoram alieno ornatu dedecorare.

Videte porro ipſorum diſquiſitiones philoſophicas — quam futiles plane & ineptas! En vero in promptu exemplum! poſita modo fuerat à Paulo doctrina hæc *fundamentalis*, ſc. Jeſu Chriſti reſurrectio: interim, qui plus æquo ſapere videbantur, aliqui forte dubitabant vel adverſabantur: πως λεγουσι τινες εν ὑμιν ὁτι αναστασις νεκρων ουκ εστι? in diſceptationem, & examen res adducitur: vincit demum Pauli argumentatio; aſſentiuntur Corinthii; reſurrectionis fides recognoſcitur: eſto ſane, inquit aliquis è philoſophis doctioribus, ὁ συζητητης του αιωνος τουτου. Utcunque res ipſa concedatur, at de circumſtantiis quæſtio multiplex oritur — utcunque de facto conſtet, at modum interea non perſpicimus; hic demum reſtat ſcrupulus. Et quidem video hypotheſes varias excogitari poſſe, & nova quædam dogmata huic fundamento aſtrui. Αλλ' ερει τις, πως εγειρονται νεκροι· ποιῳ δε σωματι ερχονται; en materiem perobſcuram, in qua conjecturis multum permittitur! Doctores alii alia opinantur, &, velut regionis incognitæ viatores, pro libitu portenta affingunt: de re ignota pari omnes jure diſputant, judicantque: ſaltem experiri juvat quid efficere poſſit ingenii felix audacia. Suos interim quiſque fautores habet; applaudit populus,

populus, mire curioſus, cupiduſque ἀκοῦειν τι καινοτερον· avidè paradoxa quælibet captat arrecta auditorum expectatio; nec quidquam prius habent Doctores, quam ut probabiliter & populariter verba faciant, laudum ſuarum, potius quam veritatum evangelicarum, præcones; nec tam de doctrina, quam de diſputantium fama contentio inſtituitur.

Quid autem de diſquiſitore hujuſmodi Paulus ſenſit? quo nomine compellavit? inſipientem profecto & ineptum, qui extra cauſam, & quæ nihil attinent, nec quoquo modo rem Chriſtianam attingunt, de re inexplicabili quæſtiunculas ventilat vanas & inutiles. — In ſumma, hanc Corinthiorum in myſteriis philoſophantium curioſam & obſcuram diligentiam irridet, redarguit, caſtigat, totâque demum errantes viâ intra lineas ad potiorem fundamentalium inveſtigationem revocat.

Corinthiorum cauſam videtis:—at videte ſimul ad homines noſtros, in quantum ſimiliter deliquerint, cenſuræ hujuſce rationem transferri poſſe. Quid enim? ecquis in theologorum ordine reperitur eloquentiæ popularis quàm verbi divini ſtudioſior, qui, quemadmodum Græci, nihil magis quam oratoris præclari laudem affectat, id agens unice ut omni dicendi artificio pravæ audientium libidini & faſtidiis ſatisfaciat,

phaleratæ

phaleratæ cujuſdam dictionis artifex & oſtentator, ſimplicitatis vero apoſtolicæ contemptor, — qui eo præcipue conſilio ſacram paginam perſcrutatur, vexatque ut inde aliquam acuminis critici exercitandi materiem expromat, — vel illius teſtimonia ſibi in ſubſidium adhibet, non tam ad aliqua religionis Chriſtianæ dogmata ſtabilienda, quàm ad orationis dignitatem & ornatum; neque demum alio habet in loco, quam ut idonea laudis inſtrumenta, & ambitionis ſuæ vehiculum? — Ecquis porro in philoſophiæ humanæ ſtudiis ita verſatus fuerit, ut divina prorſus neglexerit? ita ſupra vulgus ſapere auſus, ut hypotheſes novas & paradoxa quædam jactitare maluerit, quam majorum veſtigia ſequi, & in notioribus atque fundamentalibus ſubſiſtere — ſubtilitates metaphyſicas potius quam veritates evangelicas quærere — ita in omni re demonſtrationibus ſuis confidere, ut in Chriſtiana religione myſteria agnoſcat nulla — ita de moralibus diſputare, ut fidei Chriſtianæ nec locum, nec materiem relinquat ullam — ita demum rationi ſuæ omnia tribuere, ut auctoritati divinæ eatenus reverentia derogetur? — Ecquis demum, indagator male curioſus, (quæ ad veram nominis Chriſtiani ſapientiam propius ſpectant omiſſis) των κρυπτων αποκαλυψιν, rerumque inexplicabilium explicationem attentat — Ecquis de mundo

mundo inviſibili, ſpirituali, conjecturas & problemata agitare gaudet, πως νεκροι εγειρονται; — ποιῳ δε σωματι ερχονται; — de Chriſti ad inferos deſcenſu, ſive incerta, ſive probabilia ſtatuere — quid ibi rerum agitur explorare? — de mortuorum ſtatu; qualis ille? an profundior εν αναισθησια ſomnus? an cum aliquo miſeriarum vel felicitatis ſenſu, aut præſenſione conjunctus? Qui hæc & ſimilia ingenii laſcivientis phantaſmata ſectatur, in regione tenebricoſa cælitus immiſſi luminis ductu deſtitutus, mirarer ſane, ſi non de via erret & labatur. Ut autem repetantur omnia — Si qui in eccleſia extiterint hujuſmodi Doctores, ita in argutiis hiſce *extrafundamentalibus* verſati, intelligant profecto cenſuram à Paulo allatam ad ſe pertinere, ſeque eodem, quod ille Corinthiis objecit, levitatis, arrogantiæ, ambitionis, & impietatis crimine teneri.

Quin & alia in hoc genere exempla libet breviter perſtringere.

Video extitiſſe novos quoſdam Hebraicorum interpretes, — ſapientiæ certe abnormis autores, — homines ingenii ſatis audacis codicem ſacrum vexare, & è quolibet quidlibet educere; — callidos vocabulorum & ſyllabarum contortores; — criticos eoſdem mire perſpicaces, qui in ſcirpo nodum quærunt, in ſimplicitate quavis allegoriam;

riam; per paradoxa ad orthodoxiæ famam contendunt; novo certe armorum genere religionis defenſionem parant; vereor ut nihil impetrent qui omnia ſibi credi poſtulant. Mira profectò eſt hominum arrogantia; ſoli per ſe ſapiunt: in hiſtoria moſaica philoſophiæ encyclopædiam univerſam perſpiciunt; de ſyllabis philoſophantur; è nominibus ipſis argutias quaſdam expiſcantur; è deſcriptionibus quibuſcunque allegoricis fidei myſteria eliciunt, & emblemate quovis hiſtorico certum aliquod dogmatum Chriſtianorum ſyſtema deſignari arbitrantur. In ſumma, id agunt ut ingenii ſui luſibus licentia quædam indulgeatur; & in hoc ſane ſatis ſibi placent, nova quædam & inaudita proferre auſi, nihilque tam veriti, quam ne aliqua de re dubitare videantur.

Eſt & aliud hominum genus, qui pietatis primævæ & orthodoxiæ purioris ſpeciem ſibi prætendunt, qui, præter quam imbellicitas humana fert, virtutis perfectæ laudem, imo penè dixeram, opera quædam ſupererogationis exigere videntur—qui pro Phariſaica quadam arrogantia ſe omnium rerum primos eſſe volunt, legiſque divinæ interpretes fidiſſimos, alios autem omnes, uti publicanos & peccatores, præ ſe contemnunt, reprobantque—qui chariſmata, neſcio quæ, ſingularia jactitant, atque aliam porro, quam quæ

in

in Evangelio exhibetur, *Regenerationis* ſpeciem affingunt, atque impulſûs divini efficaciam ita prædicant, ut *ſpiritualia* quodammodo ad *ſenſum* revocare videantur. Iidem roſtra paſſim invadunt, non tam θεοδιδακτοι quam αυτοδιδακτοι & αυτοτελεσται, Theologiæ cujuſdam *myſticæ* præcones; atque adeo de prædeſtinatione, juſtificatione, regeneratione, ſimilibuſque doctrinæ reconditioris acroamatibus non ſine plauſu nova quædam & mirifica fabulantur. Tum rei novitas, tum oratorum arrogantia vulgi aures animoſque ſuſpenſos tenet & attonitos: ſtupor parit admirationem; & ex novo hoc aucupio quæſtus eſt uberrimus. Sed interim, hæc theologia myſtica cui bono ſit? & quorſum tendat oratio non intellecta? nihil ſane video quod ad οικοδομην — ad fidem, moreſque informandos conferat: imo autem vereor potius ne accenſeri debeat inter illa δυσνοητα, ἁ οἱ αμαθεις και ασηκτοι στρεβλουσι προς την ιδιαν αυτων απωλειαν.

Sentio equidem & hos & illos, qui ſupra notantur, à fundamento poſito neutiquam diſcedere; imo vero fidem Chriſtianam conſtanter tueri velle. Quid igitur hac in parte video reprehendendum? hominum arrogantiam, & ambitionem pravam, qui ſapientia ita abundant ſua, ut admonitionis hujus apoſtolicæ, εκαστος δε βλεπετω πως επoικοδομει, neutiquam meminerint:

temerarii opifices, qui nihil magis curant quam ut aliquid *novi* moliantur ; aliquid huic fundamento aſtruant, & quidem aliquid ſingulare, & de ſuo, quod ſibi ſuiſque placeat : de *materiæ* delectu interim parum ſolliciti, an ſolida fuerit & pretioſa, & fundamento conſentanea, an vero fragilis, vitioſa & evanida : ξυλα, χορτος, καλαμην.

Sed quid domeſtica hæc & leviora commemoro, dum alia in parte impiarum omni in genere pietatum exempla video atrociora ? dum ante oculos mihi obverſatur *Eccleſia Romana*, illa corruptelarum inventrix, fautrix, fraudumque in religione omnigenarum artifex ſolertiſſima, in architectura theologica quidlibet audax aggredi ! Quid enim ? Profecto illa non tantum ξυλα, χορτον, καλαμην — materiem non ineptam modo & inutilem, ſed etiam pravam damnoſamque intulit, dogmata nova planè & inaudita, ſapientiæ humanæ figmenta, in ſimplicitatis Chriſtianæ opprobrium, & ædificii illius apoſtolici detrimentum. Qualis enim excrevit illa ſuperſtitionum pluſquam Phariſaicarum ſtructura, jamdiu magnitudine laborans ſua, & quaſi propiorem minitans ruinam ? Videre videor nulla priſtinæ conſtructionis Apoſtolicæ veſtigia, ſed dogmatum farraginem novam & & ſyſtema quoddam extrafundamentale, imò deformata omnia & inverſa, ornamentorum apparatu

paratu incongruo dehoneſtata, ſubſidiiſque ipſis labefactata; ita ut ſi primævi ſæculi Patrum aliquis Romam hodie inviſeret hoſpes, næ ille mirans & indignans in tanta religionum oſtentatione adhuc Chriſtianam deſideraret; neque ſane Paulus ipſe in hac tanta rerum mutatione operis ſui Ichnographiam agnoſcere poſſet.

Mihi quidem hanc orationis viam ingreſſo imprimis in animo fuit novos hoſce theologiæ fabricatores *Pontificios* in jus vocare, ad autoritatis non humanæ ſed divinæ tribunal inquiſitorium vocatos ſiſtere, — corruptelas, quas quidem innumeras alias ex aliis ſine more, ſine fine, ſuccreſcentes invexerunt, excutere, — immanem illam ſuperſtitionum, quas aſtruxerunt, fabricam, & quodcunque demum ad ξυλα, χορτον, καλαμην eſt referendum — et inſuper, quod eſt longè atrocius, & à veritate evangelica maximè alienum, *duodecim articulorum*, quos, ex Concilii Tridentini Decreto, ſymbolo Nicæno Pontifex Romanus *Pius quartus* furtim ſubnexos aſtruxit, breve examen inſtituere — et, prout argumenti ratio admonet, de ſingulis judicium ferre Chriſtiana quadam moderatione temperatum, ita ut à nobis ſtatuatur ſalutis æternæ in eccleſia Romana non quidem deſperatio abſoluta, ſed diſcrimen anceps, ſed periculum tantum non ineluctabile,

luctabile, & tanquam ex incendio difficilis evaſio; αυτος δε σωθησεται, ουτως δε, ως δια πυρος.

Sed cum materiem mihi opinanti vel inopinanti jam ſupra modum excreviſſe viderim, id quod operoſum nimis & fere infinitum videtur, in præſens omitto; ſatis habens, ſi mihi ſententiarum explicatio brevis inſtituta aliquando abſolvatur; & deinceps ad uſus theologicos Applicatio deducatur.

Εκαστου το εργον φανερον γενησεται· examen ſcilicet accuratiſſimum inſtituetur; & quidem admonitioni apoſtolicæ vim & efficaciam addit uberiorem exitûs hujuſce formidandi præſenſio. Cavebit profecto ille πως εποικοδομει, qui ſtructuræ cujuſlibet rationem à ſe aliquando eſſe reddendam intelligit, nec apud judicem καρδιαγνωστην ullum fraudi aut diſſimulationi dari poſſe locum: Chriſto ipſo atteſtante, ουδεν γαρ εστι κρυπτον, ο ου φανερον γενησεται, ουδε αποκρυφον, ο ου γνωσθησεται, και εις φανερον ελθη.

Η γαρ ημερα δηλωσει· qualem vero in ſpecie illam eſſe dicam? cautius ſane hac de re ſtatuendum eſſe admonent iterata ſacræ paginæ teſtimonia: περι ημερας εκεινης και ωρας ουδεις οιδεν. Atque adeo imprimis eſt notandum in textu Græco το η ημερα ſimpliciter efferri: ab interprete vero Latino ſubjici το Domini nempe εξηγητικως· quare

Prima,

Primò, Sententia intelligi poteſt ſenſu indefinito, ita ut nec ad diem hanc vel illam ſpeciatim, κατ' ἐξοχην referatur; ſcilicet longa dies, veritatis parens, πάντα δηλώσει· quæ nox occultat, eadem prodit & illuſtrat dies; hoc enim ſibi proprium habet. — Interim haud inficior quin tempore aliquo opportuno per verbi divini applicationem extraordinariam manifeſtatio hujuſmodi effici potuerit; qualis religionis noſtræ reformatæ autoribus contigiſſe videbatur, & à falſis vera ſecernens errores diſpulit inveteratos, & veritatem evangelicam quaſi renatam confirmavit; quippe διικνέμενος αχρι μερισμὸ ψυχης τε και πνευματος, και κριτικος ενθυμησεων και ενοιων καρδιας. Hebr. IV. 12.

Secundò, Senſu quodam definito intelligi poteſt ſententia, ita ut certum aliquem diem præſtitutum deſignet, quem innuere videtur τὸ ἡ præfixa, velut κατ' ἐξοχην, ἡ ἡμερα, nempe *dies* ILLA qualiſcunque demum fuerit; & *dupliciter* quidem *illa* ſumitur, ſive denotans *judicium ſpeciale*, atque adeo certis de cauſis ad certos homines pertinet, ut dies illa excidii Hieroſolymitani, quæ Judæos quaſi in judicium adductos damnavit, Chriſtique vaticinium adimplevit — ſive demum *judicii generalis* ſupremi diem, quæ quidem εμφατικως appellatur *dies Domini*, quippe Chriſti judicis adventum ſignificans: hoc ipſum

in

in hac ad Corinthios epiſtola à Paulo ſæpe notatum videmus: ſic enim ille de manifeſtatione per Chriſti examen elicita, ὁς φωτισει τα κρυπτα τȣ σκοτȣς, και φανερωσει τας βȣλας των καρδιων, και τοτε ο επαινος ἑκαςῳ γενησεται απο τȣ θεȣ.

Quid autem diei illius tremendæ inquiſitio patefacere potuerit, animo plane dubio & trepidante præſentimus. Quid eſt enim quod ignis illius adhibiti tormentum non explorabit, illuſtrabit, abſumet? Nempe ἡ ἡμερα δηλωσει ὁ, τι εν πυρι αποκαλυπτεται, dies manifeſtum reddet quodcunque ignis ille exploratorius revelaverit. Eſt enim hæc ſimplex & verior interpretatio, cum ὁ, τι non denotet adverbium cauſale, ſed rem ipſam ſubjectam — vel παν ὁ, τι ȣν εν πυρι αποκαλυπτεται.

Εκαςȣ το εργον οποιον εςι το πυρ δοκιμασει—Quid de igne hoc ſtatui oportet? dupliciter quidem adhiberi videmus, vel ut inſtrumentum *pœnarum*, ut ignis ille Gehennæ, vel *explorationis*, qualis ille eſt argentariorum vel χρυσοχοων — An vero *materialis?* haud illud ſane pro certo affirmaverim: ſatis erit ad rem noſtram ſi judicii divini per proprietates ab hoc emblemate traductas ακριβεια admirabilis exhibeatur. Tota certè ſententia à principio ad finem eſt *Allegorica*; hoc locutionum genere ut plurimum gaudet Paulus: eodem res redit, ſi ad *intellectum* aut *ſenſum* referatur:

feratur: fruſtra de ſigno lis movetur, dum de re ſignificata ſatis conſtet. — Verum qualiſcunque fuerit, certe nullo jure à Pontificiis ad *Purgatorium* illum ſuum detorqueri poteſt. Inſtituitur enim *probatio*, non purgatio: ad examen omnino omnes vocantur, non ad pœnam temporariam deſignantur boni. Siccine vero aurum, argentum, & lapides pretioſos eccleſiæ ſuæ aſtruunt? — Miremini hominum in hac parte calliditatem, vel impudentiam! Scilicet aliquod ſacræ paginæ teſtimonium requiritur: & hoc ſanè in loco ignis ad uſos *morales* adhibendi mentionem diſertam fieri vident, quam alibi forſan fruſtra quærunt. Itaque vulgo rudi obtruditur hæc interpretatio ſpecioſa; "omnes etiam bonos "eſſe purgandos, nec ad ſalutem viam aperiri, "niſi δια πυρος" — ergo datur purgatorium. — Verum hos interpretes paucis aggredi libet tam fœdè καπηλευοντας τον λογον. Videant adeo mecum, particulæ iſtæ, & quidem εμφατικως prolatæ ὅτως, δὲ, ως, δια — quid ſignificent: anne ſententiam mutilare oportet, & id ipſum, in quo deſcriptionis vis continetur, diſſimulare prorſus & tollere? At non id patiuntur criticorum leges, prohibet æquitas. Quis demum ſanæ mentis interpres non intelligit, dictionem eſſe plane *metaphoricam?* Atque adeo non rem ipſam denotari, ſed *ſimilitudinem*, aut *modum*, proverbialiter,

liter, ὡς διὰ πυρος. O miſeros, qui hæc neſciunt! perfidos, qui quæ eſſe ſciunt, vera confiteri nolunt! Profecto longe commodius è carmine *Virgiliano*, (ubi et myſteria Eleuſinia exhiberi nonnulli opinantur) Purgatorii ſui demonſtrationem elicere potuerant. Neque ſane quidquam figmento theologico magis convenit, quam fictio illa poetica.

Poſtremo, notandi reſtant exitus rei diſpares pro diverſâ tum opificum ſolertiâ tum opificii ipſius materie, ει τινος το εργον μενει, ὁ επωκοδομησε, μισθον ληψεται. Ex eo ipſo quod το εργον μενει colligere licet, ignem hunc non fore illum *conflagratorium* & univerſalem, ſed potius *exploratorium* illum, & ſenſu metaphorico judicii divini inſtrumentum acerrimum. Siquis adeo extiterit σοφος αρχιτεκτων, juſtæ conſtructionis artifex, nec niſi quod ſanum ſolidumque fuerit, fundamento quidquam επωικοδομων, erit ſane quod, inter incendiorum ruinas, ipſe ſibi gratuletur incolumis, cum in extremo illo diſcrimine, & examinis accuratiſſimi, tanquam ignis ſuppoſiti tormento, opus ipſi perduraverit illæſum, firmitate conſtans ſua. Profecto ſunt hic ſua præmia laudi, μισθον ληψεται — Iſthoc quidem ipſa ſuadet & pollicetur juſtitiæ divinæ ratio: εκαστος τον ιδιον μισθον ληψεται κατα τον ιδιον κοπον: Pauluſque præmiorum præſenſione ipſa exultans

hæc

hæc ad Timotheum, λοιπον αποκειται μοι ὁ της δικαιοσυνης στεφανος, ὁν αποδωσει μοι ὁ Κυριος εν εκεινη τη ἡμερᾳ ὁ δικαιος κριτης. Hæc recolens erigit ſe animus, humana major ſorte; Deoque judici dum placere ſtudet, populares plauſus & opprobria pariter contemnit.

Ει τινος το ἐργον κατακαησεται, ζημιωθησεται: In illa nempe judicii die idem ille ignis, qui aliorum virtutes, veluti aurum, ſordibus abſterſis puriores illuſtrat, aliorum opera, quæ quidem ſpecioſa & magnifica apparatu ingenti ſumptuque conſtruxerunt, abſumet prorſus & extinguet. — O fruſtra ſuſceptos labores! irritaſque ambitionis male collocatæ contentiones! O inanes ingenii fruſtra laudati luſus, fallacemque gratiæ popularis auram! — Adeſte jam, quotquot eſtis, ſtructuræ theologicæ artifices; adeſte Commentatores — Critici — Philoſophi — Oratores — & quicquid eſt hominum eruditiorum; aliquando tandem φοβηθητε τον θεον, και δοτε δοξαν αυτῳ, ὁτι ηλθεν ὡρα της κρισεως αυτου: Ad tribunal illud inquiſitorium vocati, opera veſtra ſinguli producite examinanda: ſcilicet ἑκαστου το ἐργον ὁποιον ἐστι, το πυρ δοκιμασει· At at examinis illius ſupremi exitum quis non jure perhorreſcat, refugiatque? Quinam vobis in illa die ſenſus? quæ mens? qualis demum trepidatio?

reſpicite ſtudiorum omnium fructus. Vah! quanta de laudum congerie quantillum ſupereſt! nihil, niſi forſan id ipſum quod minus æſtimare videbamini, nempe quæ ad οικοδομην unice erat comparata, veritatum evangelicarum *ſimplicitas!* Intelligite illa die quicquid eſt artium humanarum, velut in auras fumum, & uti σκιας οναρ evaneſcere, divinæ vero ſapientiæ monumenta incorrupta & inviolata perſtare. Quam juvabit ea omnia, quæ ſtudio elaboraſtis maximo, protinus dediſcere! imo vero ξυλα, χορτον, καλαμην, ſcripta veſtra ſpecioſa & inutilia, ultro comburenda adducere, & jactura tali ſalutem veſtram redimere! &, quod à Græcis ad Chriſtianam fidem in Epheſo converſis factum legimus, id vobis documenti loco apponere — ικανοι δε των περιεργα πραξαντων συνενεγκαντες τας βιβλους κατεκαιον ενωπιον παντων, και συνεψηφισαν τας τιμας αυτων και ευρον αργυριου μυριαδας πεντε.

De explicatione jam ſatis multa — ſupereſt applicatio ad uſus ſpeciales deducenda: & illa quidem brevior fortaſſe quam quæ pro inſtituto noſtro aut rei dignitate erat expectanda, tum ut minus tædii auribus ſive laſſatis ſive faſtidioſis afferam, tum etiam ne de materie recondita fuſius liberiuſque diſputans aliqua de meo, ξυλα, χορτον, καλαμην, aſtruere videar.

Intelligite

Intelligite adeo verba hæc, quæ explicanda ſuſceperam, non ad Populum ſed ad Clerum, ad ſyſtematum Theologicorum Architectos, unice pertinere. Doctores quoſdam in Eccleſia Corinthiaca ingenio abuſos ſuo hæc Pauli cenſura perſtringit: adeoque admonitionis Apoſtolicæ ratio ad omnes, quotquot in hoc οικοδομης eccleſiaſticæ opere verſantur, theologos pariter tranſferri poteſt: ſc. ἑκαστος βλεπετω πως επιοικοδομει· caveant ſinguli nequid incongruum, nequid à fundamento poſito alienum aſtruant. Adeſte animis, Theologi, reſpicite imprimis fundamentum illud veſtrum quale ſit, quam late pateat, quid recipiat reſpuatque. Ne divinis humana commiſceantur, rei ipſius ratio dehortatur, prohibet Pudor & Reverentia; videte demum quam plane indignum fuerit homine liberali & Chriſtiano pro libidine ſacris profana ingerere, in re ſeria nugari, & in Religione non religioſe philoſophari. Ne vero hoc quicquid eſt admonitionis fruſtra inculcari videatur, animadvertite porro incitamenta quædam ſubjici, & ea quidem non levia, quibus in hanc vel illam partem affectus humani moveri ſolent. Notantur enim rei exitus diverſi: hinc proponitur præmiorum certa ſpes, illinc damni irreparabilis periculum. ο μεν μισθον ληψεται, ο δε ζημιωθησεται· Eſt pro-

fecto juſtitiæ divinæ proprium, ut pro meritorum ratione κατα τον ιδιον κοπον unicuique merces tribuatur. At videte qualis ille labor & quale præmium; non inanis ille & ſterilis labor in ingenii procacis luſibus, in artium politicarum, in Eloquentiæ & Philoſophiæ humanæ ſtudiis unice verſatus: ſed in verbi divini & ſapientiæ cœleſtis inveſtigatione ita conformatus, ut ad ambitionem & libidinem privatam nihil, ſed omnia ad Eccleſiæ οικοδομην Deique gloriam referat. Intelligite veræ ſapientiæ hanc eſſe laudem propriam σοφισαι εις ζωην αιωνιον δια πιστεως της εν Ιησου Χριστω cætera vero omnia nomine hoc honeſto prorſus indigna. Quid enim homini profuerit univerſam encyclopædiam animo complecti potuiſſe, cum interea quæ ad animæ ſalutem æternam pertinent omnino neglexerit? η τις δωσει ανθρωπος ανταλλαγμα της ψυχης αυτου; Quale vero iſthoc præmium? haud certe fragile iſtud & caducum: non corona olympica illa laurea, quæ capiti honorato protinus immoritur marcida: non præconii laus illa, quam popularis auræ afflatus, qui modo impertiit, idem corrumpit diſſipatque; ſed ſtabile quiddam ſolidumque, pretio & dignitate inæſtimabile, diuturnitate æternum — ἁ οφθαλμος ουκ ειδε, και ους ουκ ηκουσε, και υπο καρδιαν ανθρωπου ουκ ανεβη, ἁ ετοιμασεν ὁ θεος τοις αγαπωσιν

γαπωσιν αυτον. Ex altera vero parte, videte damnum, quo quidem homini laudis cupido & ambitioſo gravius fere nullum inferri poteſt. Καρδιαγνωστης judex examen inſtituit, jus dicit irrevocabile — quæ illa trepidatio? quæ rerum viciſſitudo? en ille, quem forſan admirabantur omnes Eloquentiæ, eruditionis, & ſcriptorum gloria florentem, damnatus illico prodit, capitis minor, famæ vix ſuperſtes ſuæ. Qualis tum indignatio ſubit & Pudor & Pœnitentia, cum ſenſerit laborem ſibi omnem irritum periiſſe, magno conatu ſe nihil aliud quam magnas nugas egiſſe, nihil aliud ſtruxiſſe quam ξυλα, χορτον, καλαμην — ſtipulas leves, illa ventorum ludibria aut flammarum pabula? λεγεις οτι πλουσιος ειμι και πεπλουτηκα, και ουδενος χρειαν εχω, και ουκ οιδας ὅτι συ ει ὁ ταλαιπωρος, και ελεεινος, και πτωχος, και τυφλος, και γυμνος.

Poſtremo ad vos omnes, quotquot Theologiæ ſtudio nomen dediſtis, Paræneſis hæc Apoſtolica præcipue ſpectat, ut in omni opere veſtro non tam hominum quam Dei judicia reſpiciatis, rationis aliquando à vobis reddendæ memores. Et quoniam in hac Architectura theologica ita verſari contigit ut aliquid continuo ſit aſtruendum, βλεπετω ἑκαστος πως εποικοδομει, & materiæ delectum & conſtructionis modum ſedulo exploratum

ploratum habeat & perſpectum: interea fundamentum ipſum oculo intueatur irretorto, ὁς ἐστιν Ιησους Χριστος. En finem ſupremum, ad quem omnia referantur! quamobrem ſtudiorum omnium ratio ita componi debet, ut quicquid eſt Eloquentiæ & Philoſophiæ id omne in Religionis Chriſtianæ ſubſidium ſive famulitium adhibeatur, quicquid eſt ingenii, non ad oſtentationem aut ambitionem privatam ſed ad populi utilitatem & οἰκοδομην conferatur. Ου γαρ εαυτους κηρυσσομενο αλλα τον Ιησουν Χριστον Κυριον· εαυτους δε δουλους ὑμων δια Ιησουν.

FINIS.

De Primævorum Patrum auctoritate.

CONCIO,

CORAM

Academia OXONIENSI,

PRO GRADU

Baccalaureatus in S. Theologia,

OLIM HABITA.

A JOHANNE BEAR, *S.T.B.*
Ecclesiæ Shermanburiensis *in Diœcesi*
Ciceſtrenſi *Rectore.*

OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO,
Impensis JACOBI FLETCHER, Bibliop.
MDCCXLVIII.

JUVENTUTI ACADEMICÆ,
Et Theologiæ ſtudioſis omnibus,
Hanc Concionem,
Pro gradu S.T.B. jam olim
Ea mente habitam,
Ut, quorum in Scriptis juxta ac Exemplis
Religionis Chriſtianæ
Exhibetur puritas conſpicua,
Patrum Primævorum
Auctoritas inviolata vindicaretur,
Humiliter offert, atque commendat
JOHANNES BEAR:
Qui jam ſenex pluſquam ſeptuagenarius,
Et in Eccleſia Chriſti
Miles plane emeritus,
Quod fere ſolum poteſt,
Aliis in militiam hanc proficiſcentibus
Monitor adeſt & Hortator,

Παρακαλῶν ἐπαγωνίζεσθαι
Τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει:

Atque adeo tanquam voce ſuprema,
Vos obſecrat, atque obteſtatur,
Ne Deriſorum
Aut Novatorum quorumcunque
Artibus inſidioſis decepti,
Quem tenetis honeſtiſſimum,
Loco unquam moveamini:
Sed ut potius Antiquitatis Chriſtianæ,
Quò temporibus Apoſtolicis propiora
Eò pretioſiora, monumenta
Omni ſtudio veneremini.
Vos interea viciſſim
Pro Fratre indies morituro precamini,
Ut, quorum virtutes uſq; fuerat admiratus,
Cum Eccleſiæ Patribus primævis
Aliquando ſit illius Anima,
Beati particeps Conſortii!

Lectori.

QUOD Concionem hanc ſui operis comitem, & proœmii vice præfixam aliquando in lucem publicam evocaverit Patrum Apoſtolicorum Editor doctiſſimus, mihi honori fuiſſe duco, cujus gratiam libenter recognoſco. Quod jam denuo fuerit edita, id effecit Amicorum quorundam auctoritas admonentium hæc noſtra qualiacunque Juventuti Academicæ aliquatenus uſui fore; his præcipue temporibus, in quibus prodierunt Scriptores quidam nimiâ peccantes licentiâ; qui Patrum primævorum fidem in dubium vocant, id omne pro ridiculo habent quod uſque venerandum conſecravit Antiquitas. Præcipue vero Scriptor quidam Anonymus, operis nondum nati promiſſor magnificus, ſtilo eleganti, & ingenio acri abuſus, affirmare haud dubitavit, in Eccleſiâ Chriſtianâ poſt Apoſtolorum ætatem nullam unquam extitiſſe Miracula, &, quæ ſub illo nomine venditabantur, fuiſſe piæ cujuſdam fraudis figmenta. — In hâc unâ nihil valere Patrum antiquorum teſtimonia, quippe male parum digna: Patres enim illos fuiſſe aut fatuos, aut credulones — & credulos eſſe eoſdem, & fallaces — & deceſſos, & deluſores.

Mirabar profecto, & dolebam ab homine quovis Chriſtiano, imo quidem Theologo, & Proteſtantiſmi ſtudioſo, hæc objici potuiſſe. — Quorſus vero hæc tendant omnia invitus ſuſpicor: quinam bono poſſint inſervire, haud ſane video, aut quâ ratione ſive ad Religionis Chriſtianæ, ſive ſpeciatim ad Reformatæ noſtræ defenſionem adhiberi poſſunt; imo vero ſentio utramque his adminiculis & ſubſidiis deſtitutam aliquatenus labefactari. Faxit Deus, ne unquam defenſoribus perfidis aut inidoneis committatur!

Invaluit certe conſtans & ad noſtram uſque ætatem deducta

ducta opinio in Eccleſiæ ſeculis primis Miracula extitiſſe illam hominum animis protinus evelli jubet pro auctoritate ſuâ cenſoriâ Scriptor hic anonymus. Modeſta ſane poſtulatio! Scilicet Patrum primævorum fides homini nimium Critico erat ſuſpecta; utpote qui præter modum creduli erant & mendaces, atque adeo ſecula inſequentia piâ credulitate itidem in errorem communem erant inducta. Itanè vero ergone Patres iſti repudiantur, ut facti teſtes *parùm idonei & doctrinarum cuſtodes parum fidi? Vereor ne nimium probet audax hic Argumentator; Vereor ut ipſe Sacræ Scripturæ Canon ſubſtet per iſtiuſmodi hominum manus traditione continuâ deductus, & Fides porro Catholica. — Probationem requiris? — Illa adhuc deſideratur promiſſa, & forſan diu deſiderabitur. Interea, quæ ſuſpicioni fidem faciant, hiſtriolas quaſdem hinc inde animo maligno congeſtas, & ab argumento ut plurimum alienas exhibet; quaſi deridere, aut invidiam hominibus conflare perinde eſſet ac arguere, & refellere. Si quis eodem animo* M. T. Ciceronis *ſcripta perſcrutari & excerpere voluerit, quidni & illum facile arguerit aut improbum, aut, credulum & ineptum?*

Quod porro ad Pontificiorum *cauſam attinet, quis nescit Reformatores noſtros, ad Eccleſiæ primævæ judicium, & praxin provocatione factâ, eorum argumenta retudiſſe; ita ut conſtaret eos fuiſſe in re Chriſtianâ Novatores, & Reformationem nihil aliud eſſe quàm puritatis primævæ, quoad fieri potuit, reſtitutionem. Quid eſt ergo, quod telum illud manibus noſtris extorqueri patiamur, quo Romanæ Eccleſiæ errores oppugnatos vidimus, & profligatos?*

Si demum contra Schiſmaticos *agatur, ſi de Pædobaptiſmo vel Epiſcopatu vel iſtiuſmodi re controversâ ſuboriatur quæſtio, apud æquos æſtimatores pro jure ſuo ut plurimum valebit Patrum primævorum auctoritas, & Sacra Scriptura in dubium vocatæ mentem felicius aperiet, & explicabit Ecclesiarum ab initio conſentiens judicium, & praxis Catholica.*

Quamo-

Quamobrem Religionis Chriſtianæ causâ maxime cupio,
Eccleſiæ Patribus primævis ſua conſtet auctoritas, & re-
erentia. Me quidem in ipſorum Scriptis perlegendis diu
erſatum profiteor fructus exinde haud mediocres percepiſſe:
aclara illa pietatis documenta, & exempla revereor: per-
uaſum habeo fuiſſe illos rerum geſtarum Teſtes idoneos, &
orro Doctrinarum Catholicarum fidos Cuſtodes [a]*: nec fatuos*
ec prorſus indoctos fuiſſe loquuntur ipſorum Scripta, & por-
veraces comprobant ſinceritatis argumenta ſeveriſſima,
ualia à recentioribus fruſtra expectaveris: comperimus
iim eorum plurimos fuiſſe ad mortem uſque fideles.
i forte ſcribendi Artificium deſideres, at certe ſimplicita-
em agnoſcas haud contemnendam; quippe Sacræ Scripturæ
enio ſtiloque magis concolorem. Jam vero hi homines, ne-
ue rerum ſcientiâ, neque integritate deſtituti, Miracula poſt
poſtolorum ætatem in Eccleſiâ Chriſtianâ viguiſſe teſtan-
ur: teſtantibus cur fidem quiſquam denegaverit? Res ipſa
deo non incredibilis ut etiam veriſimilis videatur: Eccleſiæ
erte infantis ſtatus, adoleſcentis, & interea perſecutionibus
rebris vexatæ deſiderabat ſubſidia prorſus extraordinaria,
veritatis ſuæ teſtimonia pluſquam humana: Quidni hæc
vera fuiſſe præſtita agnoverim, adjuvante Deo, qui pol-
citus eſt ſe Eccleſiæ neceſſitatibus nunquam defuturum?
Quid autem ſi ſæculis inſequentibus ficta quædam ali-
uando extiterint miracula, ideone nulla omnino in ſæculis
racedentibus Miracula extitiſſe unquam contendemus? Imo
ero omnis imitatio ſuum habet Exemplar; & fictio quævis
ipponit aliquam veritatem, ad cujus ſimilitudinem fuerit
ompoſita. Quamobrem hâc in parte Patrum primævorum
eſtimonia libenter amplectimur, de ipſorum fide, & integritate
ihil dubitantes, teſtimonia ad hominum memoriam ſenſuſ-

[a] Admonendus eſt Lector, qui hoc de argumento plura cupit, ut conſulat *Gul. Wottoni* Præfationem omni eruditione refertam, Editioni ſuæ *Clem. Rom.* præfixam; item Diſſertationem Rev. *Waterlandi* de uſu Patrum; & Præfationem *Gul. Reeves* ad Angl. verſionem Apologiſtarum Patrum.

quæ de miraculis quibuſdam tanquam rebus notiſſimis pr
vocantium: quod præcipue ab illis factum videmus in ii
quas publice exhibuerunt, Apologiis, & quidem coram Ju
dicibus Ethnicis iiſdem & infenſis, qui mendaciorum reos i
lico pœnis acerbiſſimis coercerent. Imo vero ſi hæc tam le
de causâ rejiciantur, quidni omnino omnia in dubium v
niant, & actum ſit de omni hiſtoricâ fide?

Optandum ſane eſſet ut, quæ Theologorum ſunt, & qu
cunque præſertim ſunt diſquiſitionis controverſæ, ea unic
pertractarent homines vere Theologi, uſu longo & ſtudiorum
exercitatione periti, nec ad res Eccleſiaſticas quaſi illot
manibus proterve accederent neſcio qui Philologi, quidlib
aggredi audaces, & quam in literis Profanis adhibent, ea
dem etiam in Sacris licentiam criticam temere adhibituri.

Facile quidem eſt etiam vera in dubium vocare, ſeria i
riſum vertere: Verum id genus hominum eſt peſſimum, q
rebus abutuntur bonis: Imo ſentio Sacras Scripturas ipſas
quibuſdam legi excutique eo animo ut inde ſolum aliqu
aut ridendi, aut cavillandi materies eruatur. At certe i
dignum eſt homine Chriſtiano, & maxime Theologo, mod
ſtiæ & pietatis diſpendio ambitioſæ cujuſdam eruditionis &
ingenii famam aucupari. Me quidem ulterius in diſput
tionis campum deſcendere nec mens, nec ætas patitur: id n
gotii à viris doctioribus, & acutioribus felicius tranſigendu
relinquo. — Reſtat interea, ut juventutem Academicam,
quotquot ſunt Theologiæ ſtudioſi, ſedulo admoneam atq
obteſter; ne in Religione Chriſtianâ temere rebus novis ſt
deant, ſed ut antiquitatem genuinam venerentur, & q
ſemper, *quæ* ubique, *quæ ab* omnibus *uſque fuerint r*
ceptæ, doctrinas tueantur, & SS. Eccleſiæ conſentientis j
dicium & Catholicam praxin famulantem adhibeant: i
demum, dum Religionis Chriſtianæ puritatem conſerva
inviolatam, & Pontificiorum & Schiſmaticorum errores a
ſpicatius oppugnabunt, & Eccleſiæ ſuæ Anglicanæ præſid
erunt validiſſimo, & ornamento honeſtiſſimo.

Alterius ad TIMOTHEUM *Epiſtolæ* Capite ſecundo, Commate ſecundo, ſic ſcriptum legitur:

Καὶ ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων, ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται καὶ ἑτέρους διδάξαι.

Et quæ audîſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

INTER omnia, quæ in utrâque ad TIMOTHEUM *Epiſtola* continentur, nihil plane illo, quod verba modo prælecta exhibent, documento memorabilius reperitur; quippe quod maximam vim affert ad religionis Chriſtianæ veritatem propagandam, & ad Eccleſiæ ſtabilitatem ſimul & dignitatem conſervandam. Cum igitur rei Chriſtianæ plurimum intereſſet, ut quicunque Eccleſiæ regimen capeſſerent eſſent & eruditionis & morum dotibus eximiis inſtructiſſimi, illud præcipue hoc mandato ſuo tanquam lege latâ cautum eſſe voluit Apoſtolus

TIMOTHEUM Eccleſiæ *Epheſinæ* Epiſcopum ſedulo admonens, & in hunc modum compellans, *Et quæ audiviſti ex me* &c.

Per illa, *quæ* ab Apoſtolo TIMOTHEUS *audiverat*, intelligimus, tum doctrinas Evangelicas, quæ ad fidem, aut mores; tum regulas, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant, quaſque olim TIMOTHEO, Eccleſiæ *Epheſinæ* præpoſito, ore tenus ſeu vivâ voce, S. PAULUS tradiderat: intelligimus [a] *formam* illam *ſanorum verborum*, Capite præcedente memoratam, TIMOTHEO traditam; nec furtim, aut clanculum, ſed palam, & *coram multis* traditam. — Per *fideles homines*, quorum meminit, & quibus *commendari* ſuas doctrinas voluit Apoſtolus, præcipuè intelligendi ſunt Eccleſiæ Chriſtianæ Rectores, ſeu Epiſcopi: quorum erat, Fidem tueri, ſartam tectam conſervare, integramque & illibatam ſuis ſucceſſoribus (quemadmodum S. PAULUS TIMOTHEO) concredere: quorum erat, *docere*, *arguere*, *increpare*; alioſque non tantùm in Sacrum Miniſterium eligere, ſed & Eccleſiæ regimen ordinare, & nequid res Chriſtiana caperet detrimenti proſpicere.

Decrevit igitur Auctoritas Apoſtolica, ut eis

---

a Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας — 2 Tim. 1. 13.

tantùm

tantùm ad Eccleſiæ præfecturam pateret aditus, qui ſummâ integritate, & perfectâ rei Chriſtianæ ſcientiâ, alios antecederent. Quapropter TIMOTHEO mandatur, *quæ audiverat*, non ut omnibus, aut quibuſvis, ſed certo cuidam hominum ordini, omnique virtutum genere inſtructiſſimo, committeret [a].

Ex Apoſtoli verbis, hucuſque explicatis, conſtat

1. Primò, magnum & manifeſtum eſſe, inter Doctores & docendos, inter Clerum & Plebem Chriſtianam, diſcrimen. Peculiaris cujuſdam ordinis, ad Eccleſiam docendam & regendam, deſignatio, iſtum ordinem ab aliis diſtinguit; a-

---

a ΠΙΣΤΟΙΣ (ἀ ζητητικοῖς, ἀ συλλογιστικοῖς· ΠΙΣΤΟΙΣ) *πολοις*; *πῶς μὴ ωεθοιθῶσι τὸ κήρυγμα·* Α ΗΚΟΥΣΑΣ) *οὐκ ἀ σωιζήτησας· ἡ πίσις γὰρ ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος Θεῦ·* — *τί δ' ἐστὶ* ΔΙΑ ΠΟΛΛΩΝ ΜΑΡΤΥΡΩΝ; *ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, ἀ λάθρα ἤκουσας ἀδὲ κρυφῆ, ἀλλὰ πολλῶν παρόντων μετὰ παῤῥησίας·* — *οὐκ εἶπεν εἶπε ἀλλὰ* ΠΑΡΑΘΟΥ, *ωαράπερ ἐπὶ ϑησαυρῦ τὸ παραπιθέμενον ἐν ἀσφαλείᾳ ωαραφυλάτθειν· ἀλλ' οὐ* ΠΙΣΤΟΙΣ *μόνον λέγει ωαράθ· τί γὰρ ὄφελος ὅταν πιστὸς μὲν ᾖ μὴ δύηται δὲ εἰς ἑτέρους ἐξάγειν τὴν διδασκαλίαν; ὅταν αὐτὸς μὲν μὴ ωεθῆ τὴν πίσιν, ἑτέρους δὲ μὴ καπασκευάζῃ τοιούτους· δύο τοίνυν ἔχειν χρὴ τὸν διδάσκαλον, καὶ πιστὸν εἶναι, καὶ διδακτικόν· διὰ τοῦτο φησὶ* ΟΙΤΙΝΕΣ ΙΚΑΝΟΙ ΕΣΟΝΤΑΙ ΚΑΙ ΕΤΕΡΟΥΣ ΔΙΔΑΞΑΙ.

Ita *Chryſoſtomus* ad locum — quem quidem velut exempli cauſa integrum citare libuit ut intelligerent Theologiæ ſtudioſi, Patrum commentationes hujuſmodi adeo non eſſe ineptas & à re ſua alienas, ut nihil fere plenius & melius proferri potuerit.

lioſque omnes, ab omni negotio iſti ordini pro-
prio, penitus excludit.

2. Poteſtatem Eccleſiaſticam à Civili eſſe di-
cretam, & à JESU CHRISTO ad Apoſtolos, a
Apoſtolis ad Epiſcopos, eorum ſucceſſores, de-
ductam. Quæ acceperat à CHRISTO PAULUS
ea tradit TIMOTHEO; TIMOTHEI ſucceſſoribu
deinde commendanda: nullâ de auctoritate Ma-
giſtratûs Civilis, nullâ de jure Plebis mention
factâ. Conſtat

3. Quales Eccleſiæ Rectores eſſe debent
viri nimirum ob exploratam probitatem con
ſummatamque prudentiam, & accuratam re
Chriſtianæ notitiam, longè latéque conſpicui
Hæc commenda fidelibus hominibus. — 1. Primò
fideles, hoc eſt, probos, integros, & conſtan-
tes, requirit Apoſtolus; ne ſcandalo aut fraud
ſit locus. —— 2. Perquam aptos ac *idoneos* &
alios docere; hoc eſt, prudentes, & religioni
Chriſtianæ apprimè intelligentes; ne quid de-
trimenti Plebi Chriſtianæ, ex Ductorum igno-
rantiâ, accidat; ne quam gravi errori anſam
præbeat docentium imperitia.

His præmiſſis, nihil potius in ſequente Diſ-
ſertatione faciendum duxi, quàm ut

I. Primò oſtenderem, Eccleſiæ primævæ Cle-
ro, & præſertim Rectoribus, apoſtolicam hanc
quam

nam Textus continet, descriptionem optimè ongruere.

II. Deinde ut constaret quanti momenti sit orum auctoritas ad rei Christianæ usus pecu-ares applicata.

I. Ut persuasum habeamus Ecclesiæ primævæ lero, & præsertim Rectoribus, Apostolicam anc descriptionem optime congruere, sive illos isse revera tales quales designat Apostolus, vi-os integritate summâ & plenâ rei Christianæ ientia imbutos, ea quæ sequuntur nos indu-ere possunt argumenta;

1. Apostolorum, Spiritu Sancto plenorum, mma cura, & exquisitissimum, in eligendis constituendis Ecclesiæ Rectoribus, judicium:

2. Eorum, qui Apostolos excipiebant, & os illi ipsi Ecclesiæ præficiebant, dignitas:

3. Modus, quem in eligendis, & ordinan-is Episcopis, primitiva Ecclesia diligentissimè bservavit:

4. Peculiares quædam primævæ Ecclesiæ cir-umstantiæ, quæ ad præstantissimos evehendos lurimùm contulerunt.

1. Quantam Apostoli curam adhibuerint, quàm gravi & maturo judicio, in eligendis & constituendis Ecclesiæ Ministris, usi sint; & quàm diligenter idoneis designandis & promo-

vendis

vendis invigilaverit Spiritus Sanctus, abunde docent tum ſacræ paginæ tum etiam Scriptorum antiquorum teſtimonia.

Ad Diaconatûs officium exſequendum, exigunt Apoſtoli *viros teſtimonio ornatos, & Spiritu Sancto, & ſapientiâ plenos* [a]. Tales electos ſolenni more DEO commendant, & in Diaconatûs ordinem conſtituunt. — Eodem planè modo Presbyteros [b] LYSTRIS, ICONII, & ANTIOCHIÆ, conſtituunt PAULUS & BARNABAS, e iis, quos illo munere dignos invenerant.

Quales verò Rectores ipſi Apoſtoli Eccleſiis præfecerint, quales deinceps præponi voluerint, *Epiſtolæ* ad TIMOTHEUM & TITUM datæ luculenter evincunt. Epiſcopale munus, ſecundùm leges in hiſce *Epiſtolis* poſitas, iis ſolum modò demandatur, qui ſunt populi conſenſu & teſtimonio muniti, reique Chriſtianæ ſcientiâ & illibatâ probitate inſignes. Monentur Epiſcopi, ne cuiquam temere manus imponant, ac ne ad ſacram functionem quenquam indignum aut ignotum admittant.

Eundem ſucceſſionis modum, eandem ordinationis formam, ut in defunctorum locum viri probati ſuccederent, Apoſtolos, futurorum præſcientiâ præditos, ſucceſſoribus ſuis tradi-

---

a Act. vi. 3. 5. 6. b Act. xiv. 23.

diſſe

ſſe, certiores nos facit S. CLEMENS ROMANUS, Apoſtolicus, teſtis omni ſuſpicione major, nnique fide digniſſimus [a]. Apoſtolorum, in gendis & conſtituendis Eccleſiæ Rectoribus, ram & judicium abundè confirmat & com-endat Spiritûs Sancti, qui falli nequit, vigi-ntia. Ipſum enim Apoſtolis in Epiſcopis eli-ndis affuiſſe, & viros idoneos indicâſſe, ſine mmâ impudentiâ negari non poteſt.

[b] Ex *Apoſtolorum Actis* ſcimus, PAULUM & RNABAM *Spiritum Sanctum elegiſſe, ſeparâſſe, ad opus* Evangelicum miſiſſe. Scimus etiam, cleſiis Aſiaticis Epiſcopos [c] *à Spiritu Sancto poſitos.* Legimus, TIMOTHEUM ad Epiſco-le munus [d] *ſecundùm prophetias præcedentes* e-

---

[a] Διὰ ταύτην ἔν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς προειρημένους, κ᾽ μεταξὺ ἐπινομὴν δεδώκασιν, ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, διαδέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. Epiſt. ad . Cap. xliv. -- Admonendus eſt Lector ne nimium tribuat ju-io *Joh. Clerici*, qui Annotationibus in *Clem. Rom. Ep.* I. ad *Cor.* râ B. ſubſignatis, iſti Epiſtolæ fidem & auctoritatem detrahere atur, &, neſcio quo jure, nimis certe audaci conjectura, ſuſ-iones quaſdam malignas ignoti cujuſdam, *docti* tamen, ſi Dîs pla-, auctoritate commendatas venditat. (vid. *Præf.*) Verum haſce illationes confutatas expoſuit Reverendus admodùm *Clem. Alex-rini* Editor vol. I. p. 610 in Annotationibus ad Ατενίσωμεν ἔν. c ideo animadvertendum duxi tum quia ſentio viros quoſdam ctos pioſque hæc à *Clerico* gratis dicta temere arripuiſſe, tum a erat à nupero SS. Patrum Apoſtolicorum Editore doctiſſimo termiſſum.

[b] Act. xiii. 2. [c] Act. xx. 28. [d] 1 Tim. i. 18. — iv. 14.

lectum,

lectum, & [a] *per prophetiam* admiſſum. — A [b] CLEMENTE ROMANO, Apoſtolorum ſucceſſore, di cimus, Apoſtolos, *per regiones & urbes* verbu *prædicantes, primitias eorum, Spiritu probante Epiſcopos & Diaconos eorum qui crediturі era conſtituiſſe.* Et [c] CLEMENS ALEXANDRINU teſtatur, S. JOHANNEM Apoſtolum, poſt red tum à Patmo, Aſiam peragrantem, partim *Epiſcopos conſtitueret*, partim ut *Eccleſias fo maret*, eos ſolummodò *in Clerum, quos deſigna verat Spiritus, cooptâſſe.*

2. Eorum qui Apoſtolos excipiebant, & qu illi ipſi Eccleſiæ præficiebant, dignitas, ita pud nos valere debet ut de Eccleſiæ primæv

---

a Τί οὖ ἐστιν ἀπὸ προφητείας; ἀπὸ Πνεύματος ἁγίου· προφητία ἐστιν ὃ τὸ πὲ μέλλοντα λέγειν ἀλλὰ καὶ τὸ πὲ παρόντα. -- προφητία ἦν τὸ λέγειν, ἀφορίσατέ μοι τὸν Παῦλον εἰς τὸ Βαρνάβου· οὕτω καὶ ὁ Τιμόθ ἠρέθη. -- ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, ὁ Θεός σε ἐξελέξατο, αὐτὸς σοι ἐπισκοπὴν ἀνθρωπίνη γλώσσης ψήφῳ. Chryſoſt. ad locum.

Ita & Theodoretus ad loc. ὁ γὰρ ἀνθρωπίνης, ἔφη, τυγχάνει στως ἀλλὰ καὶ θείαν ἀποκάλυψιν χειροτονίαν ἐδέξω.

b Κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες, καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς τῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλ πιστεύειν. Epiſt. ad Cor. Cap. xlii.

c Ἀπὸ τῆς Πάτμου τῆς νήσου μετῆλθεν ἐπὶ τὴν Ἔφεσον, ἀπήλ παρακλ μῳ καὶ ἐπὶ τὰ πλησιόχωρα τῶν ἐθνῶν, ὅπου μὲν ἐπισκόπους κατεστήσω ὅλας ἐκκλησίας ἀρμόσων, ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα τινα κληρώσων ὑπὸ τοῦ πν ματος σημαινομένων. Tract. cui titulus Τίς ὁ σωζόμενος πλούσ Oxon. 1715. p. 959. Vide etiam Euſeb. Hiſt. Eccleſ. Lib. Cap. 23. & Valeſ. Annot.

Recti

Rectorum tum peritiâ, tum probitate, nulli dubitemus.

Quæ à CHRISTO dum in terris ageret, quæ ab afflatu Spiritûs Sancti poſt CHRISTI aſcenſionem, acceperant, ea Apoſtolos ſucceſſoribus ſuis impertiviſſe, nemo niſi inverecundus infitias iverit: rei igitur Chriſtianæ fuere ſcientiſſimi. Mores autem & ingenium eorum, quos promovebant Apoſtoli, examen divinitus inſpiratum latere potuiſſe, omnem fidem ſuperat: fuerunt igitur viri integerrimi. — Tales fuere TIMOTHEUS, Epheſinus, & TITUS, Cretenſis Epiſcopus, S. PAULI diſcipuli, comiteſque in Evangelio propagando conjunctiſſimi. — Talis S. IGNATIUS, [a] Apoſtolorum diſcipulus, eorumque judicio adeò probatus, ut Antiochenſi, omnium, quæ apud Gentes erant, Eccleſiarum antiquiſſimæ, &, propter [b] ſummam urbis in ſeculo famam & amplitudinem, nobiliſſimæ, præponi meruerit. — Talis POLYCARPUS, [c] S. JOHANNIS Apoſtoli diſcipulus, & ab ipſo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ princeps. — Tales denique in Eccleſia Præſe-

a Conſule Chryſoſtomum de Ignatio.

b Hinc ſeipſum vocat ὁ ἐπίσκοπον Συρίας καὶ ποιμένα. Epiſt. ad Rom. §. ii. & ix. Vide Annot. Pearſoni & Smithi in loc.

c Vide Martyrium S. Ignatii. §. iii.

ctos ubique ordinaſſe Apoſtolos, [a] par eſt ut credamus.

Hoſce verò Apoſtolorum ſucceſſores, quibus eorum mens, ſacri ordinis dignitas, & Eccleſiæ ſalus fuerunt perſpectæ, maximam in præficiendis Eccleſiæ Rectoribus cautionem adhibuiſſe, apud æquos rerum æſtimatores in dubium venire non poſſit. Apoſtolorum enim diſcipulos & ſucceſſores doctrinam à puriſſimis Chriſtianiſmi fontibus hauſtam, viris integris, & ad docendum aptis & idoneis commendâſſe, neceſſe eſt, ut aut nobis perſuadeamus; aut concedamus, eos mandati Apoſtolici ſuique officii prorſus immemores fuiſſe, & de re Chriſtianâ parum ſollicitos: quod quidem ab omni veriſimilitudine abhorret, quippe ab ipſorum moribus & pietatis eximiæ famâ alienum, imo & hiſtoriæ primævæ teſtimonio repugnans. Ex his, quæ dicta ſunt, non tantùm liquet, Apoſtolorum ſucceſſores fuiſſe egregiis dotibus inſtructos, & in omni virtutum genere primas tenuiſſe, ſed & ſimillimæ ſucceſſioni propagandæ ſeriam operam dediſſe.

Illos verò, qui Apoſtolorum ſucceſſores ex-

---

a *Valde enim perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant* [Apoſtoli] *eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterii tradentes.* Irenæus, Lib. iii. p. 201. Edit. Oxon. 1702.

cipiebant,

ipiebant, viros præſtantiſſimos Eccleſiæ præeciſſe, ulteriùs evincet

3. Modus, quem, in eligendis & ordinandis Epiſcopis, primæva Eccleſia diligentiſſimè obervavit. — Ex antiquâ enim diſciplinâ patet, n Epiſcopis ordinandis, tum Epiſcopos, tum lebem partes ſuas habuiſſe. Ad Epiſcopos jus xaminis, electionis, & ordinationis pertineat: ad Plebem, jus idoneos proponendi, teandi, ac comprobandi.

Antiquiſſima, quæ apud S. [a] CLEMENTEM OMANUM occurrunt, ordinationis veſtigia, Epiſcopis *καταίρεσιν*, Plebi *συνδόκησιν* aſcribunt. Ordinatio igitur Epiſcopalis in Eccleſiâ primæâ in hunc modum celebrari ſolebat. — [b] Sede acante, ad Plebem, cui Præpoſitus erat ordiandus, ejuſdem Provinciæ Epiſcopi omnes, el ſaltem proximi, conveniebant: populumque convocatum, de viri ordinandi moribus & meritis, conſulebant; juſtoque examine habito, virum in ſacris rebus peritum, & populi conſenſu teſtimonioque munitum, eligebant & conſecrabant. Hoc pacto optimè cautum erat,

---

a Τὲς οὖν καταστάντας ὑπ' ἐκείνων [ſcil. Ἀποστόλων] ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν, συνδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης, κ. τ. λ. Epiſt. ad Cor. Cap. xiv. Conſule Felli Annotata in locum.

b Cypriani Epiſt. 67. Vide Conc. Nicen. Can. 4. & Annot. Cl. Beveregii.

ne quis ignarus, ne quis parum ſanctus, ne qui ullo modo indignus, in ſacratiſſimum & maxi mi in Eccleſiâ momenti munus irreperet. — D rectâ & catholicâ ordinandorum fide atque eru ditione judicabant Epiſcopi; de illorum probi tate, gravitate, ac prudentiâ Plebs Chriſtiana DEI gloriæ Eccleſiæque commodo unicè in tenta, liberum, ingenuum & fidele perhibe bant teſtimonium.

Hanc ordinandi rationem Eccleſiæ felicite ceſſiſſe, & conjunctis hiſce, tum Cleri, tum Ple bis, ſtudiis, integros & idoneos ad Eccleſiæ re gimen fuiſſe evectos, fidem faciunt optimi & teſtes, & judices. — TERTULLIANUS, cen ſor acerrimus, & teſtis ſi quis alius incorruptus de ſui ſeculi Epiſcopis, in illâ, quam pro Chri ſtianis & re Chriſtianâ edidit, *Oratione Apologe ticâ* [a], hunc in modum teſtatur. *Præſident apud nos probati ſeniores, honorem iſtum, non pretio, ſed teſtimonio, adepti.* — S. CYPRIANUS, TERTULLIANI diſcipulus, & Africæ Epiſcopus primarius, vir ſummo judicio, & pari integritate, palam profitetur, ſui ſeculi Epiſcopos [b], *plebe præſente, & ſub omnium oculis, delectos, dignoſque & idoneos ad id muneris publico judicio & teſtimonio promotos.* — EX ORIGENE [c], viro

a Cap. 29. b Epiſt. 67. Ed. Oxon.
c Hom. vi. in *Levit.* viii. 4.

ſan-

nctiſſimo & eruditiſſimo, diſcimus, ideo in dinando Sacerdote requiri præſentiam popu- ut omnes ſciant, non niſi doctiores, & ſan- iores, atque omni virtute eminentiores, eſſe Sacerdotium electos. Et [a] alibi fidenter aſ- rit, eos, qui ſui temporis Eccleſiæ præerant, ros fuiſſe *non ambitioſos*, & temere ſe in fun- iones arduas ingerentes; ſed modeſtos, ſed *tentes ſermone, & vitâ ſanâ utentes.* — Te- monia hæc, omni fide digna, pleniùs illu- rant & confirmant [b] SEVERI, Imperatoris Ro- ani, praxis & judicium: accuratam enim pri- ævæ Eccleſiæ, in eligendis & ordinandis E- ſcopis, & Sacerdotibus, rationem non tan- m magnopere probavit, ſed & imitari voluit, conſtituendis provinciarum Rectoribus & æpoſitis, quibus fortunæ hominum & capita mmitterentur.

4. Peculiares quædam primævæ Eccleſiæ cir-

---

a Ἡμεῖς ᾗ ἐν ἑκάστῃ πόλει ἄλλο σύστημα πατρίδος κτισθὲν λόγῳ Θεοῦ πάρμεν, τὰς δυνατὰς λόγῳ καὶ βίῳ ὑγιεῖ χρωμένας ἄρχειν, ἐπὶ τὸ ἄρ- ν ἐκκλησιῶν παραπαλεῖμεν. οὐκ ἀποδεχόμεθα μὲν τὰς φιλάρχας, βια- μένους ᾗ τὰς διὰ τὴν πολλὴν μετριότητα τὴν κρινὴν φρονοῦσα τ ἐκκλησίας θεῖ μὴ βουλομένας πρεσπιτῶς ἀναδέξασθαι. Orig. contra Celſum, Lib. iii. p. 428. Edit. Cantab. 1677. De hiſce vertendis conſulendæ arſoni Vindiciæ Ignat. Part. I. Cap. 11. ubi meritò vapulat Sal- aſius.

b Lampridius in Vita Alex. Severi: Hiſt. Aug. Script. Ed. ar. p. 130. Vide Notas Caſauboni in locum.

cumſtantiæ

cumſtantiæ ad viros omni virtutum genere pr
ſtantiſſimos evehendos plurimùm contulerun
Inter has circumſtantias numeramus — *Prim*
Singularia quædam Chriſtianæ ſcientiæ adj
menta, quibus primævæ Eccleſiæ Rectores fru
bantur. — *Secundò*, Statum Eccleſiæ, crebris
violentis perſecutionibus agitatæ.

Primò, Singularia Chriſtianæ Scientiæ adj
menta, quibus primævæ Eccleſiæ Rectores fru
bantur, ex iis quæ ſequuntur manifeſtè app
rent. — 1. Fuerunt ævo Apoſtolico proxim
— 2. Spiritu Sancto cumulatè inſtructi & illu
minati. — 3. Ad Eccleſias Apoſtolicas *matric*
& originales, quæ ſacrum Fidei depoſitum ac
ſervabant, ad ipſas Litteras Apoſtolorum au
thenticas, pro re natâ, provocare & recurren
potuerunt.

1. Primitivæ Eccleſiæ Præſules fuerunt æv
Apoſtolico proximi: & quò proximiores, e
inſtructiores, paratioreſque ad alios docendo
evaſere. Inde adeo, illius ævi linguam, mores
ritus, doctrinam, & diſciplinam, optimè calle
bant: Inde adeo evenit, obſcuriora, & difficil
liora Sacræ Scripturæ loca, iis facilius patuiſſe
utpote qui aut ab Apoſtolis, aut ab Apoſtolo
rum diſcipulis, auditoribus, & ſucceſſoribus, ex
plicationem expoſitionemque acceperant. Di
vina regiminis Eccleſiaſtici forma, à quâ aber
rare

e ſemper erat, ſemperque erit piaculum, il-
fuit notiſſima. Eccleſia Chriſtiana, caſta ad-
c, pudica, & incorrupta, ab ipſis Apoſtolis
initus inſpiratis recèns conſtituta, eorum
lis obverſabatur. — De ſanâ igitur & de
reticâ doctrinâ, de Eccleſiæ unitate, deque
hiſmatis naturâ, rectiſſimè ſentiebant.

Hiſce adjumentis acceſſere

2. Spiritûs Sancti ſubſidia, qui primævæ Ec-
ſiæ Præſides cumulatè inſtruxit & illumina-
. — Ut enim conſtat [a], *Spiritum Sanctum* A-
ſtolos *in omnem veritatem deduxiſſe*, ita etiam
nſtat illorum ſucceſſores, cum Epiſcopatûs
ceſſione, veritatis chariſma [b], atque extraor-
naria Spiritûs dona, accepiſſe. Primitivæ Ec-
ſiæ commodo, & exiſtimationi ita proſpexit
iritus Sanctus, ut iis virtutibus Antiſtites im-
eret, quæ officio, & pares efficerent, & dig-
s oſtenderent. Nativis dotibus minimè con-
mnendis acceſſerunt, quæ naturam ſupera-
nt, dona [c]; quæque *virum Dei conſumma-*

---

a Joan. xvi.

b Irenæi Lib. iv. C. 43. p. 343. Edit. *Ox.* 1702.

c Cur iſthoc cuiquam incredibile videatur haud ſane intelligo: certe erat Eccleſiæ ſtatus, qui iſtiuſmodi Chariſmata & ſubſidia raordinaria poſtulabat; & ea fuiſſe à Deo communicata diſerte antur illorum temporum hiſtoriæ. En rem rationi apprime ſentaneam! en rei teſtimonia! quis æquus cauſarum judex fi-m denegaverit?

tum,

tum, & ad omne bonum opus, ad omnem
cri muneris partem, ritè & cum dignitate
beundam, inſtructum reddiderunt.

3. Ad Eccleſias Apoſtolicas *matrices* & o
ginales, quæ Fidei ſacrum depoſitum adſerv
bant, ad ipſas Apoſtolorum Litteras authen
cas, primævæ Eccleſiæ Præſules provocare & r
currere potuerunt [a]. — Exſtitiſſe Scripta Ap
ſtolorum authentica, ſeculo ſecundo exeunte,
TERTULLIANI teſtimoniis compertum habem
Archetypa hæc ultra TERTULLIANI ætat
in Eccleſia durâſſe, veriſimillimum videtur.
hoſce codices, Apoſtolorum manu exaratos, v
ſaltem obſignatos, Primævi Epiſcopi exempl
ria ſua corrigebant; ad hoſce codices prov
cando, dubia & controverſa dirimebant: atq
hoc pacto Novi Inſtrumenti tum Textum, tu
Canonem, exploratè perſpectum, planéque co
nitum habebant.

Præterea, Eccleſiis à ſe fundatis, quæ eâ
causâ *Apoſtolicæ*, *matrices*, & *originales* [b] audi

---

a *Age jam qui curioſitatem voles meliùs exercere in negotio ſalu
tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Apoſto
rum cathedræ ſuis locis præſident, apud quas ipſæ Authenticæ Li
teræ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faci
uniuſcujuſque.* Tertull. de Præſcript. Cap. 36. Vide etiam
Monogam. Cap. 11.

b Irenæi Lib. iii. C. 3. 4. Tertull. C. 36.

bant

ant) *ſanorum verborum formam*, ſeu ſacrum idei Chriſtianæ exemplar, ad quod omnis doctrina erat exigenda, Apoſtoli commendabant. rctiſſimam inter ſe concordiam & ſocietatem æ Eccleſiæ retinebant; & in ejuſdem Fidei nitatem amiciſſimè conſpirabant. Eccleſiæ, ex ſce Apoſtolicis derivatæ & propagatæ, doctrinas ſuas ad exemplar Apoſtolicum conformabant; eandemque Fidem profitebantur, quam ccleſiæ *matrices* ab Apoſtolis, Apoſtoli à CHRIo, CHRISTUS à DEO, acceperant. Hæc Fidei hriſtianæ regula, Apoſtolorum ſucceſſoribus radita, & in Eccleſiis originalibus conſervata, rimævis Epiſcopis egregiam erroribus & hæreibus obviàm eundi facultatem ſuppeditavit. Ad ntiquam enim, conſtantem, & univerſalem Eccleſiarum Apoſtolicarum traditionem recurendo, & *omne* doctrinæ *genus ad originem ſuam enſendo* (ut cum [a] TERTULLIANO loquar,) utrùm ectè an ſecus aliquis de primariis fidei Articuis ſentiret, optimè judicare, & de ſummis reigionis controverſiis, graviter & facillimè decernere potuerunt. —— In rebus itaque ſacris Primævi Epiſcopi fuerunt longè peritiſſimi, Fidei Analogiam & religionis ardua calluerunt; ipſi omnia edocti, & ad alios docendos, & regendos, perquam apti & idonei.

a De Præſcrip. C. 20, 21. Vide C. 31.

Secundò, Eccleſiæ primitivæ ſtatus, crebris & violentis perſecutionibus agitatæ, Rectores fi deles & integros fuiſſe luculenter demonſtra — Neminem latet, Eccleſiam Chriſtianam pe prima ſecula Poteſtates civiles ſibi adverſante habuiſſe; & cum Magiſtratibus infenſis, & pe ſima quæque minitantibus, & molientibus, fuiſſ conflictatam: neminem latet, perſecutores i Epiſcopos deditâ operâ præ cæteris ſæviiſſe ipsâ Eccleſiam regendi provinciâ illos in di crimen adducente, & ferro flammiſque obje ctante.

Vexatiſſima hæc Eccleſiæ conditio, Guber natores integros, prudentes, & conſtantes po ſtulavit; &, quos res ipſa poſtulavit, eos ſolum modo ad præfecturam vidimus admiſſos. Ne mini tunc temporis, niſi voluptates, opes, ho nores, ex animo contemnenti, niſi ad morien dum pro Fide Chriſtianâ prompto & parato Epiſcopatum adire licuit. Quæ regimen Ec cleſiaſticum ſuſcipientibus tum erant metuend & ferenda, timidum & ſimulatorem deterre bant; fortiſſimum atque integerrimum expo ſcebant, & comprobabant. Hiſce verò malis quæ Præſides Eccleſiæ aſſiduè manebant, ipſi minimè ceſſerunt; non perſecutorum minis, non periculis, non damnis, non mortis terrori ſuc cubuerunt; in omnibus ſeſe integros, fideles, in victos præſtiterunt. Cala-

Calamitoſa Eccleſiæ tempora Epiſcoporum
tientiam, fortitudinem, conſtans & indefeſ-
m bene agendi ſtudium, cum ſummo vitæ
ſcrimine conjunctum, indicabant. Ex quibus
rtutibus perſpici poteſt, primitivæ Eccleſiæ
ectores non turpi lucro, non ſuæ ipſorum am-
tioni, aut pravæ dominandi cupiditati; ſed
cleſiæ honori, ſed pietatis Chriſtianæ ſtudio,
que animarum ſaluti, ſedulò operam navâſſe.
Sequitur igitur, apoſtolicam, quam textus
ntinet, deſcriptionem, Eccleſiæ primævæ
ero, & præſertim Rectoribus, optimè con-
uere; quippe qui fuerint viri integri, *fideles*,
ad alios docendos perquam apti & *idonei*.

Reſtat ut paucis oſtendam

II. Quanti momenti ſit ipſorum Auctoritas
rei Chriſtianæ uſus peculiares applicata.

1. Ad religionis noſtræ veritatem confirman-
m plurimùm valet.

2. Controverſiis graviſſimis ſedandis & fi-
endis optimè inſervit.

3. Patrum Primævorum Scripta nobis im-
ensè commendat.

1. Religionis Chriſtianæ veritas ex auctori-
te Sacræ Scripturæ omnino pendet; ſed ad
onfirmandam Scripturæ *quoad nos* auctorita-
em plurimùm valet Eccleſiæ primitivæ teſti-

monium: atque huc accedit, quod teſtimon
omni vim & pondus addit, teſtantium con
tio; quippe qui ſummâ integritate, ſuba
judicio, & invictâ conſtantiâ, polluerunt.

Primævæ Eccleſiæ Rectoribus, cùm Sac
Scripturæ traditionem, tum etiam ejuſdem e
poſitionem acceptam referimus: & ſane m
ximi eſt momenti eorum, qui tradiderint atq
expoſuerint, dignitas & præſtantia, ad fidem n
ſtram confirmandam & ſtabiliendam. — Falle
alios nolunt, qui integri, & ad mortem uſq
ipſam fideles ſunt: falli non poſſunt, qui pe
fectâ rei Chriſtianæ notitiâ fruuntur, ideoq
ſunt ad alios docendos inſtructiſſimi: quoru
teſtimonio, nullâ ſuſpicione laboranti, fide
habere nemo ſanus recuſabit. De horum ver
teſtium exiſtimatione & famâ qui aliquid d
tractum volunt; multo magis, qui, arreptâ qu
libet occaſione, eos non eruditorum tantù
virorum, ſed etiam proborum numero exime
conantur; & tanquam ſtipites ac fungos, a
quaſi callidos veteratores, omnibus conte
nendos & deridendos propinant; næ illi in Re
ligionem Chriſtianam iniquum & hoſtilem pr
dunt animum, eamque ſatis apertè labefactar
& ſubvertere enituntur.

2. Controverſiis graviſſimis ſedandis & f
niendis, Veterum Epiſcoporum & Doctorum
qu

i primis Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis floruerint, integritas, ſcientia & prudentia, optimè ſerviunt.

Sive enim de Sacræ Scripturæ Canone, ſive Regiminis Eccleſiaſtici formâ, ſive de Infantium Baptiſmo, ſive de ullo alio alicujus momenti argumento, lis ſit; ad Chriſtianæ Antiquitatis ſententiam, ad Eccleſiæ primitivæ judicium, teſtimonium, & praxin, recurramus neceſſe eſt. Huic judicio & teſtimonio libenter cedimus, & in illo acquieſcimus; quoniam viris integerrimis, ſcientiſſimiſque proficiſcitur. Quantum enim primorum ſeculorum Doctoribus tribuendum ſit, ipſorum circumſtantiæ, dotes, & virtutes oſtendunt: quæ tot tantæque ſunt, ut eoſdem rerum geſtarum teſtes fide dignißimos, & in religionis arduis judices optimos ac incorruptos conſtituant; & dirimentis, quæ Eccleſiam hodiernam vexant lacerantque, controverſiis, abundè ſufficiant.

3. Denique, cùm ex hactenus dictis manifeſtò appareat, Primævos Patres viros fuiſſe integerrimos, & rei Chriſtianæ, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, morumque & Traditionum Apoſtolicarum, ſcientiſſimos; quis non videt, eorum ſcripta nobis debere eſſe commendatiſſima? — *Fidem* igitur *ſemel Sanctis traditam* intelligere, defendere, & ab Hæreticorum inquinamentis

mentis illibatam conſervare; ſi purum illum & ab Apoſtolis traditum, Scripturæ Sacræ ſen ſum & explicationem aſſequi, nobis curæ co dique ſit; ſi Eccleſiæ Chriſtianæ germanas p teſtates, & jura ſacratiſſima, callere atque a ſerere velimus; ſi Eccleſiæ regimen & unitate Sacramentorum Evangelicorum vim & natu ram, Sacerdotalis muneris onus & dignitate perſpicere, & meritò æſtimare exoptemus; pietate Chriſtianâ penitus imbui, ſi ad genero ſum rerum terrenarum contemptum perm veri, ſi ad certam futuræ vitæ expectatione erigi & accendi, ſi ad mortem (modò ita De viſum fuerit) pro Fide Chriſtianâ cum alacri tate oppetendam, animari percupiamus; Pa trum Primævorum Scripta diligenter legenda egregia ſanctiſſimorum Martyrum ac Confeſſo rum facta ſeriò conſideranda, & antiquiſſim primitivæ Eccleſiæ Acta & Monumenta, no bis conſulenda ſunt, & frequentiſſimè evolven da.

Quocirca hiſce finem imponet Monitum, vir conſummatiſſimi, de hâc Academiâ, de Eccleſiâ tam antiquâ, quàm hodiernâ, de bonis omni bus optimè meriti; Monitum ſanctiſſimo do ctiſſimoque Præſule dignum, & omnium, qu Theologiæ Chriſtianæ operam dant, aut qu ſunt daturi, memoriâ digniſſimum; quos hor tatu

tur & ſuadet Pater venerandus[a], 'Ut pigris urbidiſque illorum lacunis, qui ſe *Modernos Theologos* dici volunt, inſuper habitis, fontes equirant perennes & limpidos, atque ultra thnicæ Theologiæ fidem ſacros, & Numine lenos. Par quidem eſt (uti pergit vir ſum-nus) ut nova ſequantur Novatores; eis verò, uibus Eccleſiæ primitivæ ſincera placent dog-nata, non minoris ævi Scriptores utique pla-ebunt: ſeſe etiam genuinos Eccleſiæ filios, ertiſſimo hoc indicio & notâ planè characte-iſticâ comprobabunt, quòd ſanctiſſimos ejuſ-em Patres unicè colant, & revereantur.'

DEO, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, ſit laus, oria, & honos, in ſecula ſeculorum. Amen.

Gratia Domini noſtri JESU CHRISTI, *amor* EI, *& communicatio* SPIRITUS SANCTI, *ſit biſcum omnibus.*

---

[a] Johan. Felli Oxon. Epiſc. in Præfat. ad *Clement. Rom. Epiſt.* *on.* 1677. 12°.

ECCLESIÆ ANGLICANÆ *mens & ſententia.*

Mprimis vero videbunt *(ſc.* Concionatores) nequid unquam doceant pro concione, quod à populo teneri & credi velint, quod conſentaneum ſit doctrinæ Veteris aut Novi Teſtamenti; dque ex illa ipſa doctrina Catholici Patres & Epiſcopi college-. *Lib. Canonum* 1571. *Coll.* SPARROW. *Ed.* 4. *Lond.* 1684. 38.

Sum-

Summorum aliquot Theologorum JUDICIA.

Saraviæ.

Contra unanimem & conſtantem omnium Patrum veteris Eccl
ſiæ conſenſum, nihil ſine expreſſo Dei verbo eſt innovandum. H
enim liberè dico: quiſquis Patribus omnem authoritatem adim
ipſe ſibi nullam relinquit. *Prolog. Defenſionis contra* Bezam.

Johan. Ger. Vossii.

Sed ne perperam illud *(ſc.* Verbum Dei) interpretemur, qu
do omnes ad errorem ſumus proclives, attendere etiam debem
non modò quid unus & alter, ſed omnino quid conſtanter docu
Eccleſia Dei. Quantopere enim repugnat perſpicuitati Scriptu
rum, ſi ita exaratæ credantur, ut, ab Apoſtolorum exceſſu, ne
præcipuis quidem Fidei capitibus, ipſi eas Eccleſiarum doctiſſ
ceperint Antiſtites! Quantùm item adverſatur bonitati Dei & am
erga nos, ſi per tot ſecula ad Scripturarum intelligentiam defu
ſtatuamus Spiritum Dei, viris licet pietate & ſanctimonia præ
lentibus, Eccleſiæque ſemper commendatiſſimis, atque eò melio
bus, quo Apoſtolicis propiores erant temporibus! I. G. Vos
in Epiſtolâ ad Johan. Forbesium, Forbesii *Inſtructionibus*
ſtorico-Theologicis præmiſsâ Amſt. 1645.

Henrici Hammondi, S.T.P.

Eccleſia Anglicana hoc ſe univerſo Chriſtianorum orbi charact
dignoſcendam, hoc ſe æquæ poſteritati æſtimandam propone
quòd in controverſiis fidei aut praxeos diſcernendis illud ratum
mumque ſemper habuerit, & huic baſi Reformationem Britanni
niti voluerit, ut Scripturis primæ, deinde primorum ſeculorum
piſcopis, Martyribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſecundæ de
rentur. *Diſſert. contra Blondellum Prælim. Londini* 1651.

Georgii Bulli, S.T.P.

Verbo *Novatores* ipſis ſumus, quòd poſt S. Scripturas primæ
ac puriorem Antiquitatem unicè colamus ac revereamur ipſi, a
que authores ſimus, ut ejus conſentiens judicium, ubi reperiri
teſt, (ut in omnibus certè reperitur, quæ majoris momenti ſunt;
cæteris verò liberum cuique judicium ſuum, ſalvâ pace Eccleſiæ
& Chriſtianâ relinquendum) religiosè ſequantur: perſuaſum hab
tes, hanc eſſe optimam, imò hanc unicam rationem eſſe infelic
mas, quæ Eccleſiam Chriſti hodiernam tot in partes ſciderunt, c
troverſias finiendi. *Apolog. pro Harmonia, Sect.* i. 3.

FINIS.